This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LB
18
287

Se 18.287

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."



QUID DE CLEMENTIA

SENSERIT

L. ANNÆUS SENECA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

DORISON

Colloquiis præfectus in Facultate litterarum Cadomensi

CADOMI

LITTERIS E. VALIN TYPOGRAPHI

ANNO M. DCCC. XCII

QUID DE CLEMENTIA

SENSERIT

L. ANNÆUS SENECA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Léon DORISON

Colloquiis præfectus in Facultate litterarum Cadomensi

CADOMI

LITTERIS E. VALIN TYPOGRAPHI

ANNO M. DCCC. XCII

Se 15.287



Salisbury fund

DILECTISSIMO MAGISTRO

G. BOISSIER

DDD

REVERENTISSIMUS

DORISON

Si cursim aut oscitanter Senecæ *de clementia* libros recognoveris, facile credes meras esse declamationes et splendore magis quam corpore probabiles; at si eos paulo attentius perlegeris, non fieri potest quin fateare solidam materiam subesse, et eam non vagam utpote generalem, sed personarum, et, si non locorum, temporum quidem notis distinctam et definitam certumque ad finem quemdam pertinentem.

Nempe in toto Senecæ opere apparet egregia ac nova de imperii ratione doctrina, in qua virtus illa quam clementiam (1) et Stoïci vocant, cum

(1) Hic non mediocriter hæremus, ignorantes quo nomine Stoïci virtutem illam notaverint. Pro certo habendum est unam esse e secundariis virtutibus quæ τὸ κοινωνικόν, τὸ πολιτικόν, aut, ut latine loquamur, virtutem illam quæ in communione ac communitate versatur, apud Stoïcos sequebantur. Sed in catalogo stoïcarum virtutum apud Stobæum et Diogenem nulla reperitur cujus cum latino nomine nomen græcum omni ex parte æquari possit. Non

munere principis mire congruere mihi videtur, sive pacem illam romanam ab unius potestate pendentem respicias, sive stoïcum illum Λόγον omnia pervadentem, informantem, gubernantem, a Virgilio laudatum ac illustratum :

totamque infusa per artus
Mens agitat molem . . . . . .

Jam eam doctrinam, partim oratoriam, partim philosophicam, ut penitus intelligas, haud parvi momenti erit dignoscere quo anno, quo rerum articulo, qua ansa data, non sine audacia exponere L. Annæus sit aggressus. Non solum enim avidus erat gloriæ, utpote scriptor, aut, utpote philosophus, veri appetens, sed etiam, ut præceptor Neronis et minister, temporibus et discipuli ejusdemque principis usui monita debebat accommodare. Nuspiam autem neque unquam magis quam Romæ post extremos Tiberii annos, aut post insanum C. Cæsaris regnum, stolidumve Claudii principatum quibus Urbs magis quam imperium laboraverat, erat necessarium cle-

est συγγνωμοσύνη neque ἐπιείκεια, quarum utraque a Sapientis persona abhorret ut οὐδένεια. Ex altera parte clementia non est omnino πραότης, quippe quæ sit lenitas circumstanciis quibusdam adjectis, ut videre est e finitionibus clementiæ apud Senecam (*De clem.*, II, 3). Sed ex istis finitionibus ipsis non immerito colligitur fuisse apud Stoïcos quoquo nomine græco eamdem virtutem quæ a Latinis clementia nuncupata est.

mentiam commendare atque extollere : pravum enim principis ingenium signa sui jam dabat, magis quidem flagitiosa quam reipublicæ et singulis civibus pestifera. Sed periculum erat ne principatus initia longius permanarent, brevi in crudiorem vesanioremque tyrannidem eruptura. Haud alienum videbatur Neronem omni modo in officio retinere, ad bona exhortari, a malis deterrere et gloriæ suæ quasi adstringere. Inde expositionis modus, inde ab initio operis ad finem adulatoriæ istæ artes, quibus videri potest Seneca, ut philosophus, plus justo abuti.

Ea sunt igitur (doctrinam de clementia imperiique ratione et tempora opportunitatemque librum scribendi dico) quæ explicare mihi proposui, non omissis tamen quæ ad rem litterariam spectant et ad omnem de oratione aut de sententiis quæstionem.

Ut autem via et ordine progrediamur, ratio nos jubet ab ætate, ut ita dicam, operis incipere. Sic enim non solum multas sententias melius intelligemus, sed etiam spem ac finem scriptoris ejusdemque malignam sortem, qui, prospecto in somniis M. Aurelio, se impegit in Neronem.

Ad rem festino, paucis de totius operis ratione antea dictis.

CAPUT I

DE DIALOGI RATIONE

Atqui in tertio primi libri capite, propositum ipse ita explicuit L. Annæus: « In tres partes omnem hanc materiam dividam. Prima erit manumissionis (1); secunda ea quæ naturam clementiæ habitumqne demonstret: nam cum sint vitia quædam virtutes imitantia, non possunt secerni, nisi iis signa, quibus dignoscantur, impresseris; tertio loco quæremus quomodo ad hanc virtutem perducatur animus, quomodo confirmet eam et usu suam faciat. »

(1). « Manus injectionis » si Madvigio assentias (Cf. *Advers. critica*, t. II, p. 425): « Ut tibi manum injiciam ac te teneam; *manus injectio* pro uno vocabulo erat in jurisconsultorum sermone et ita ponitur apud ipsum Senecam, *de const. sap.*, 5. 7. » — At, nisi fallor, parum feliciter in nostri loci sententiam hoc verbum transferri posse videtur. Illic enim Stilpo agitur: « Habebat secum vera bona, in quæ non est manus injectio. » Quod quidem hostile nescio quid ac bellicum sonat, neque est quod tale aliquid conjiciamus nostro dialogo fuisse adscriptum.

Ceterum « mansuefactio » proposuit M. C. Gertz (*L. Annæi Senecæ libros de beneficiis et de clementia* ad codicem nazarianum recensuit M. C. Gertz etc., Berolini apud Weidmannos, MDCCCLXXVI), p. 263 adnot. critic; nec quidem audacter, quippe qui minime accipiendum verbum scribat simul atque delcat.

Ego quidem « manuductio » afferre ausim.

Perierunt autem de tribus partibus duo propemodum: nam cum liber prior integer supersit, subito et abrupte finem capit alter, multo plura pollicitus quam præstat.

Prioris igitur libri materiam ita explicare est. Neroni Cæsari clementiam imprimis gratulatus minister ac præceptor, jam et extollit imperatorium illud munus quo, quasi vinculo, res publica cohæret; quapropter nullum ex omnibus magis quam regem aut principem clementiam decere docet (I-IV): principi enim contigit idem posse quod diis, atque hæc est summæ magnitudinis servitus deorum sibi animum adserere, mortalibus scilicet condonare vitam aut servare (V, VI, VII, VIII). Hic illam reperias de Augusti clementia narrationem a Cornelio nostro scenæ commissam: quam quidem præconii gratia edisserit Seneca Neroni, ne quis Augusti clementiam illi neronianæ conferre aggrediatur, aut potius domestico exemplo principem vult admonitum regibus certiorem fieri ex mansuetudine securitatem (IX, X, XI). Ergo accingitur ad eximiam quamdam acerbi ac sanguinarii tyranni depingendam imaginem.

Nec tamen ocius ad finem illum primi libri

properat L. Annæus : quantum enim distet a rege tyrannus, quam decorum sit principi vivere optantibus cunctis, hoc Senecæ placet finire, hoc somniare et patriæ vere parentem ad cælum juvat extollere : non præpostera vota, modo memineris, apud Dionem, (1) prope ab initio principatus prosequi Neronem C. Cæsaris exemplar (XII-XX). Jamque liber primus finem habeat, nisi tria capita occurrant in quibus exactior quædam doctrina expressa est : sive consideret Seneca a quibus causis punire principes soleant, sive quomodo sese agere debeant vel ab inferioribus, vel a paribus petiti violatique; sive princeps in alienis injuriis vindicandis sequatur hæc tria quæ lex secuta est : aut ut eum, quem punit, emendet, aut ut pœna ejus ceteros meliores reddat, aut ut, sublatis malis, securiores ceteri vivant (XX, XXI, XXII).

Quod autem ad secundum librum attinet, incidimus iterum in laudes Neronis. Ut enim de clementia scriberet, una scilicet Senecam compulit Cæsaris vox. Nempe,—ut scriptoris prope verba ipsa usurpem, — animadversurus in latrones duos Burrus exigebat a Nerone, scriberet, in quos et ex qua causa animadverti vellet; hoc sæpe dilatum ut aliquando fieret instabat. Invitus invito

(1) LXI, 4 et 5.

cum chartam protulisset traderetque, exclamavit Nero : « Vellem litteras nescirem ! » — Mitto laudes et spem illam, quæ sequitur, felicis tandem ac puri sæculi. Ansam enim mox arripit philosophus ut ad clementiæ finitionem evadat, quid sit clementia qualisque sit et quos fines habeat. Hanc saltem ostendit nobis : cetera amisimus, nisi quod a clementia lacrimas et misericordiam removet.

CAPUT II

QUO ANNO AUT QUA ANNI PARTE CONSCRIPTUS FUERIT DIALOGUS

Senecæ philosophica opera, quo ordine fuerint conscripta, summatim demonstrare haud absque labore res plus quam semel apparuit. Nec plane compertum an ullum hujus generis opus ante C. Cæsaris mortem conscripserit. Conjectura quidem probabile est *de ira* libris et *de brevitate vitæ* famam scriptoris quamprimum percrebuisse ante exsilium. In illo enim opere C. Cæsaris mortis mentionem, ut recentis, reperias. Quod autem ad hunc *de brevitate vitæ* librum attinet, refertur ad annum quo, Romam revocatus, L. Annæus prætoram accepit. Quid multa? Jam ante exsilium famæ sese inserebat Seneca, neque solummodo post Consolationes illas in exsilio quidem scriptas, sed etiam post hæc duo philosophica opera edita nostrum *de clementia* dialogum (1) Neroni dicavit (2).

(1) Hoc verbum promptioris styli usurpabo, quamvis absint a Milanensis codicis dialogis hi nostri *de clementia* libri (V. Teuffel, R. L. p. 193 et 194 gallicæ interpretationis).

(2) Adde quod ludum de morte Cæsaris ediderat paulo post Claudii mortem.

Nunc igitur redeamus ad ipsum de clementia dialogum, et hoc primum disquiramus quo anno, quo mense in vulgus manaverit.

Inter recentiores quidem qui de hac re disseruerunt, duo ab opinione Lehmannii initia cepere : Frid. Jonas scilicet, et Alfr. Martens, ille in dissertatione inaugurali *de ordine librorum L. Annæi Senecæ philosophi* (Berolini, G. Schade, 1870) ; hic autem, Senecæ inimicus, in illa cui inscribitur *De L. Annæi Senecæ vita et de tempore quo scripta ejus philosophica, quæ supersunt, composita sint* (Altonæ, 1871, Mentzel). Lehmannius vero sententiam suam aperuit in octavo *Philologi* volumine, et rursus in libro cui inscriptio est : *Claudius und Nero und ihre Zeit* (Gotha, 1858). In hoc autem, refert dialogum nostrum *de clementia* ad finem anni 55 : etenim, in capite nono libri primi, Neronem duodevicesimum annum egressum esse legimus (1), quod quidem mense decembri anni 55

(1) « Cum hoc ætatis esset (Divus Augustus), quod tu nunc es, duodevicesimum egressus annum, jam pugiones in sinum amicorum absconderat. » (*De clem.*, ed. *Gertz*, I, 9. 1.)

evenit; quoniam autem initio februarii 56 Britannicus necatus est, non licuit Senecæ, ut critico videtur, adeo perfricatam frontem gerere, ut Neronis clementiam postea extolleret (1).

Hancce vero Jonas sententiam attulit contra Lehmannium: quoniam, in illo capite nono libri primi, Neronem duodevicesimum annum jam egressum esse legimus, inter diem XVIII Kal. jan. anni 55 eumdemque diem anni sequentis hos libros editos esse apparet.

Nec sine jure, meo quidem judicio. Natum enim esse Neronem post nonum annum quam Tiberius excessisset, duodevicesimo Kal. jan. memoravit Suetonius: nec discrepat Tacitus (2) in Annalium libris XII, 41, et XIII, 6, sin minus in XII, 25. Ut aliis verbis utar, natus est Nero quinto decimo die mensis decembris anni 37, neque etiam per senatum stetit quin deinde annus a mense decembri initium caperet. Quæ quidem arripuit Jonas, et statuit a quinto decimo decembris anni 55 usque ad quintum decimum decembris anni 56 extendendam ætatem illam qua Nero duodevicesimum annum jam erat aggressus, et dialogum exiisse licet.

(1) P. 12 et 13.

(2) Suet., *Ner.* 6. — Tac., *Ann.*, XIII, 6 : « Fine anni (54)..... vix septemdecim annos egressus. » — Cf. Dio., LXI, 3 : ἕπτα καὶ δέκα ἔτη ἦγεν ὅτ' ἦρξεν (v. Gros et Boissée, ad hunc locum). — Princeps electus est tertio die ante idus octobris 54, scilicet tertio decimo octobris.

Sed priusquam hoc nimis longum intervallum ad justiores fines retrahatur, — neque enim quemquam, post annum pæne totum impletum dicamus etiam « duodevicesimum annum esse egressum », — Martensii opinionem afferam eumdem prioris libri locum cientis. Qui quidem asserit Neronem natum esse ante diem duodevicesimum Kal. jan. anni 38, duodevicesimum igitur annum egressum esse non ante diem septimum decimum Kal. jan. anni 56 ; Senecam inde hos libros composuisse anni 56 initio. Rectissime enim, ut videtur Martensio, Lehmannius post cædem Britannici tantis laudibus Neronis clementiam Senecam extulisse putandum non esse adnotat (1).

(1) Cf. Martens. in adnot., p. 43: « Britannicus natus est pridie Idus febr. anni 41 (cf. Lehmanni *de Claud. et Ner.* additamentum post p. 122), mortuus est festis Saturno diebus (Tac. *Ann.*, XIII, 15) anni 55. Saturno festa celebrabantur a die sexto decimo usque ad diem decimum ante Kal. jan. (Cf. Preller *Mythol. Rom.*, p. 413 sqq.). Taciti igitur verba « quo quartum decimum ætatis annum Britannicus expleret » accurata non sunt. »

Cf. Frid. Jon., *op. cit.*, p. 41 : « Erravit enim Lehmannius de Britannici mortis tempore. Quem mense februario anni quinquagesimi quinti, id est decem mensibus antequam Nero Cæsar annum ætatis duodevicesimum egressus erat, mortem occubuisse inter omnes constat (Cf. Nipperd. ad Tac. *Ann.* XII, 25 ; Suet., *Claud.* 27 ; Tac. *Ann.* XIII, 15). »

Lehmann., *op cit.*, p. 12: « Zu Anfang des Februar 56 wurde Britannicus ermordet » (Cf. Tac. *Ann.* 13, 15).

Atqui in tertio decimo Annalium libro narratur de fine anni 807, sive 54 (I-X), de anno 808 sive 55 (XI-XXIV), atque etiam de tribus annis 56, 57, 58 (XXV-XXX ; XXXI-XXXIII; XXXIV usque ad libri finem).

Verumenimvero, præterquam quod erravit Martensius de anno quo natus est Nero Cæsar, jam antea scripserat Jonas contra hunc Lehmannii locum : « Ex eo exemplo disci potest, quam parvi momenti ejus generis ratiunculæ habendæ sint! Erravit enim Lehmannius de Britannici mortis tempore. »

Mitto paulisper Lehmannii opinionem Senecæ indoli faventis. Hoc tantum consideremus annon liceat illud pæne totius anni 56 spatium in angustius deducere. Neque enim per ipsam illam Taciti de illo anno 56 narrationem obstabit quin deducatur.

Q. enim Volusio, P. Scipione consulibus, « otium foris, fœda domi lascivia, qua Nero itinera Urbis et lupanaria et diverticula veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem exposita, et obviis vulnera inferrent : adversus ignaros adeo ut ipse quoque exciperet ictus et ore præferret (1). » Hoc quidem initio anni ; sed mox « Cæsarem esse qui grassaretur pernotuit ». Inde « quidam, permissa semel licentia sub nomine Neronis, inulti propriis cum globis eadem exercebant, et in modum captivitatis nox agebatur, » id est ad instar captæ urbis.

(1) Tac. *Ann.*, XIII, 25.

Taciti etiam narrationem respiciamus, post illum Julii Montani et Neronis Cæsaris per tenebras congressum (1): « Nero autem, metuentior in posterum, milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit qui rixarum initia modica et quasi privata sinerent; si a læsis validius ageretur, arma inferrent. »

Hæc igitur si conferas cum locis aliquot dialogi *de clementia*, verisimile est non ita provecto anno 56 nostros libros pervenisse ad lucem.

Etenim prope jam ab initio prioris libri, oblique et tantum non compressa voce Cæsarem admonet et castigat philosophus suus. Ut exemplo utar, in tertio quidem capite : « Illius demum (principis aut regis) magnitudo stabilis fundataque est..., quo procedente non, tanquam malum aliquod aut noxium animal e cubili prosilierit, diffugiunt, sed tanquam ad clarum ac beneficum sidus certatim advolant (2). » Etiam in fine septimi capitis : « Humili loco positis exercere manum, litigare, in rixam procurrere, ac morem iræ suæ gerere liberius est; leves inter paria ictus sunt; regi vociferatio quoque verborumque intempe-

(1) *Ann.*, XIII, 25.
(2) *De clem.*, I, 3. 3.

rantia non ex majestate est. » Et infra quoque : « Vestra facta dictaque rumor excipit, et ideo nullis magis curandum est, qualem famam habeant, quam qui, qualemcunque meruerint, magnam habituri sunt. Quam multa tibi non licent, quæ nobis beneficio tuo licent ! Possum in qualibet parte urbis solus incedere sine timore, quamvis nullus sequatur comes, nullus custos sit domi, nullus ad latus gladius ; tibi in tua pace armato vivendum est (1). »

Ægre ego non credam ea perspicua consilia non quam citissime atque opportunissime fuisse allata, etiam antea quam pernotuerit « Cæsarem esse qui grassaretur », et profecto ante Montani interitum.

Exstat etiam locus alter ex quo non sine quadam cunctatione rationem concludere audeam.

Etenim, si nazariani quidem codicis recensionem sequaris textumque a Gertzio constitutum, hæcce verba invenias, in primo prioris libri capite :

« Ingens tibi onus imposuisti ; nemo jam

(1) *De elem.*, I, 8. 2. — Cf. « ὦ Καῖσαρ, ἐν τῇ σῇ εἰρήνῃ οἷα πάσχω ; (Επικτ, Διατριϐ., III, 22, 55)

divum Augustum nec Ti. Cæsaris prima tempora loquitur nec, quod te imitari velit, exemplar extra te quærit; *principatus tuus ad gustum exigitur.* Difficile hoc fuisset, si non naturalis tibi ista bonitas esset, sed ad tempus sumpta. Nemo enim potest personam diu ferre, etc., etc... »

Sed Lipsius aliique: « Principatus tuus ad *anni* gustum exigitur (1) » scripserunt; et re vera, ut Gertzius ait, « gustum » nude positum offendit, et diu apud nos credo hunc locum « ad *anni* gustum » fuisse restitutum. Non equidem hic quidquam, ubi Madvigius conjicere dubitaverit, supplere aggrediar. Sed mire cum argumento nostro congruere ita restitutum locum animadvertam atque tali modo ratiocinabor: prodiisse nostrum dialogum non multo post diem tertium decimum octobris, si vere principatus ad *anni* gustum exigitur; immo post quintum decimum

(1) Cf. Gertz, I, 1. 6.— et adnot. crit., p. 264: « § 6 N habet: » « Principatus tuus ad gustum exigitur. » Haasius violenta et falsa conjectura « obrussam » pro « gustum » scripsit; superiores recte hoc vocabulum retinuerant, quod eodem sensu accipiendum est, quo epist. 11, 1; 114, 18; Val. Max., III, init.; Plin. epist. IV, 27, 5 ponitur, ut significet « eine probe »; sed Lipsius aliique « ad *anni* gustum », Muretus « ad gustum, *quem dedisti* » scripserunt, et re vera « gustum » nude positum offendit, ut ejusmodi aliquid desiderari videatur. Mihi aut « suum » aut « sui » post « gustum » adjiciendum videbatur; Siesbyeus fortasse rectius « datum » excidisse putat. »

Quod ad hunc locum attinet, haud quicquam conjecisse Madvigium in *Advers. crit.* miror.

decembris, quoniam Nero jam duodevicesimum annum fuerit egressus; et forsitan aliqua parte anni 56 exacta, quoniam hoc anno quamprimum Neronem nocturnis erroribus comissationibusque publice indulsisse Tacitus tradiderit : qua quidem potissimum ratione nonnulla Senecæ in dialogo monita explanari posse videantur (1).

*
* *

Sed de tempore quo dialogus fuerit editus, jam satis. Nunc qua data occasione conscriptus, quidve spectans, hoc pro viribus definiamus.

Quam autem jam attulimus ex ipso dialogo repetitam Neronis vocem, hæc occurrit apud Suetonium : « Neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit... Et cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more suscriberet, admoneretur : « Quam vellem, » inquit, « nescire litteras ! » (2) Ad hoc ipsum tempus referenda est principis vox illa altera : « Agenti senatui gratias respondit : « Cum meruero. »

(1 Typothetæ, ut opinor, errore Schiller. (*Gesch. d. rœm. Kaiserreichs unter der Regierung des Nero*, p. 97 et p. 101. Cf. p. 102) inscripsit in margine operis annum 56 : hic enim auctor conjicere videtur sub finem extremum anni 55 prodiisse *de clementia* dialogum.

(2) Suet., *Nero*, 10.

Suetonio enim auctore, ea initio principatus cum omnes subinde ac memoriter salutaret, et præmia delatorum Papiæ legis redigeret, et nonnulla senatui provideret (1) « magnis Patrum laudibus ut juvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus, majores continuaret. » Id etiam consilii quidni Senecæ jure vindicemus ? Atqui id ipse professus est : « Ut de clementia scriberem, Nero Cæsar, una me vox tua maxime compulit, quam ego non sine admiratione et, cum diceretur, audiisse me memini et deinde aliis narrasse (2). »

Quid igitur sibi maxime proposuerit, ipse est testatus : « Præter id quod bene factis dictisque tuis quam familiarissimum esse te cupio, — ut, quod nunc natura et impetus est, fiat judicium (diutius me immorari huic patere voci) (3). » Etenim Seneca, utpote Stoïcus, quod judicii ac rationis proprium esse debet, juvenili impetui ac bonitati id ipsum committere abnuit. De clementia igitur scripsit, nedum de bonitate. Hæc fuit maxime, verbo quidem, scribendi causa.

(1) Tac. *Ann.*, XIII, 4, 5, 8, 10, 11 ; Suet., *Nero*, 9 et 10.
(2) *De clem.*, II, 1, 1.
(3) *Ibid.*, II, 2, 2.

Sed, re vera, alia latent : quæ requirere est.

Quoniam enim ad principatus initium vox illa Neronis refertur, jam abiit abhinc totus annus 55. Atqui Britannici interitum etiam si pæne nullius perturbationis publicæ fuisse existimes (1), quot in Cæsarum domo discrimina per illud facinus suspiceris exstitisse, quot minas turbasque, quamque instantem adhuc, patrato scelere, procellam ! Neque cuiquam L. Annæus clandestinarum illius aulæ artium ignarus fuisse videbitur. Erit igitur, in dialogo Neroni Cæsari dicato, erit quod perspicias quasi interscriptum. Quapropter legenti, præter illam causam scribendi dialogi modo allatam, alius etiam causæ subit conjectura.

Priusquam autem ad illam, incertam quidem, transeamus, breviter hic de certis disseram.

(1) Tac. *Ann.* XIII, 17 : « ...facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum æstimantes. »

Quod quidem facinus nunc fere nullus est qui inter dubia ponat. (V. Schiller., *Gesch. d. rœm. Kaiserr. unter der Regier. d. Nero*, p. 97, not. 8. — Berol. Weidmann, 1872 ; etiam V. Duruy, *Hist. des Romains*, Néron, p, 466, adnot. 2)

Corn. enim Tacitus, cum de initio anni 55 narrat, relato etiam in Plautium Lateranum neronianæ bonitatis documento, hoc inscripsit: « clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quam honesta præciperet, vel jactandi ingenii (causa), voce principis vulgabat (1). »

Hinc colligas licet per proprium opus, id est dialogum nostrum, plus quam scriptoris eximias dotes immo præceptoris ac ministri doctrinam et merita, peculiariter illustrari. Et id quidem virum decebat, quantum negotii sustineret, prospicientem, neque contra oblitum quam commode jam rei publicæ consuluisset. Majestatis enim crimina, a superioribus principibus improbe aucta numero, a Seneca et Burro Neronis nomine feliciter cohibita, immo nova patrari facinora nisi Burrus et Seneca obviam issent, nemo erat quin etiamtum memoria teneret (2). Forsitan igitur ei, interfecto Britannico, consilia quasi consummare placuerit, publicum spectanti.

At medius fidius, vel nostra ætate maxime

(1) *Ann.* XIII, 11.
(2) Tac. *Ann.* XIII, 2.

inimici Senecæ id ipsum concessere. Schillerius enim, ut exemplo utar (1), felicis ac puri sæculi spem anno superiore ab omnibus conceptam usque in annum 55 perstitisse censuit, quippe qui Neroni in Parthos bene providenti quamprimum maxime faventem Romam narret, neque minus Senecæ de clementia scribenti optimates assentire fateatur. Quo enim pacto abnuerent gratiam optimates, si quidem in his libris sic statutum est, ne quis vel conjurationis pœnam morte lueret, immo hoc laudis Neroni tributum quod nullam toto orbe cruoris humani, id est senatorii cruoris, misisset stillam?

Neque alio pacto Corn. Tacitus de annis 54 et 55, quod quidem ad Parthos pertinet, narravit (2). Jam delecto adversus Parthos Corbulone, virtuti ac meritis ad honores patefacta via videbatur, philosophisque, ut ita dicam, ad regnum (3). Et quidem profecto, quia Parthi discessere, elatius inflatiusque res fama percrebuit. Nihilominus, initio dialogi *de clementia*, Cæsari munus vere

(1) *Op. cit.*, p. 101 et 102.

(2) *Ann.*, XIII, 9: « Quæ, in alios consules egressa, conjunxi. » — Cf. *Ann.* XIII. 7, 8.

(3) Ern. Havet (*Le Christianisme et ses origines, l'Hellénisme*, t. II, p. 250): « Quand on se fut débarrassé de Claude et que Néron fut empereur, il sembla que la philosophie allait gouverner avec lui, et son règne fut comme inauguré par le Traité *de la Clémence.* »

imperatorium ostentari identidem, id est de re militari esse laborandum (1), suspicor.

Quibus de causis, non sine respectu ad spem illam sæculi felicis, ceteroquin quinquennio toto deinde impletam, scripsisse de clementia Senecam conjicias, et Neroni libros dicavisse.

Sed nunc aliud etiam conjicere ausim, quod pollicitus sum.

Nempe si in fine anni 55 editos, aut potius primis anni 56 mensibus, ne dicam hebdomadibus, nostros de clementia libros jure censemus, superest ut ea breviter percurramus quæ domi tunc gesta scriptores annalium tradunt. Atqui in hoc anno 55, quod quidem specie maxime conspicuum est, Britannicum interemptum animadvertas : diligentius autem perspiciens, permagnum id existimes parari jam Agrippinæ, in animo Cæsaris, plus quam offensam, necem scilicet.

Britannici enim morte Agrippinæ minis primum

(1) « Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur; quas nationes funditus excidi, quas transportari etc.. » (*De clem.*, I, 1. 2) — Cf. Tac. *Ann.* XIII, 4 in fine: « Se mandatis exercitibus consulturum. »

obviam itum est, « semper atrocis (1), » posteaquam Pallantis subsidium est ereptum. Immo lege Annalium caput illud vicesimum, specta noctem illam, decretamque inter vina Agrippinæ mortem. Servaveritne Burrum Seneca necne, inde Agrippinam : id saltem constat Agrippinæ impotentem animum ac minas (2) nimis apte venisse scribenti Senecæ in memoriam.

Idcirco loca nonnulla in his libris perinde interpreteris ac si Neronem L. Annæus a malesuada ira aut exitiali suspicione ultioneve deterrendum intelligat. Quod quidem opus haud aliter poterat prodesse, nisi Seneca summatim ac generaliter de his eloqueretur.

Inde solertissime scribere Neroni de clementia instituit ut quodammodo « speculi vice » fungeretur, et ostenderet Cæsari Cæsarem, illam dico tyranni ac monstri minime assentatoriam imaginem, sub fine prioris libri expressam, quam quidem licuit Neroni non agnoscere, blanditiis aut suis ipsius vitiis decepto.

Alium etiam dialogi conferam cum annalium loco locum, ut appareat de Agrippina, nedum de clementia tantummodo, agi.

(1) Tac. *Ann.*, XIII, 13 et 14 ; cf. Beulé, R-D-M., avril 1869 : « Elle veut des otages. Elle caresse Britannicus : on le lui tue. »

(2) *Ann.*, XIII, 18 et 19.

Burrus enim, si Tacito credere est (1), Neronem trepidum et interficiendæ matris avidum, ut « reputaret tenebras et vigilatam convivio noctem, omniaque temeritati et inscitiæ propiora » admonuit. Atqui non aliter Seneca in dialogo nostro : « Supervacaneum est hoc loco admonere, ne facile credat, ut verum excutiat....., nunc illum hortamur, ut manifeste læsus animum in potestate habeat, et pœnam, si tuto poterit, donet (2). »

Neque hoc forsitan principi solummodo, sed et Romæ fuerit scriptum.

Quodsi Nero nulla re alia moveatur præter timorem, hujus modi loca occurrent : « Clementia ergo non tantum honestiores, sed tutiores præstat » ; aut rursus : « Diis ipsis manus intentantur » ; aut etiam : « Regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberique eorum, qui interfecti sunt, et propinqui, et amici, in locum singulorum succedunt (3). »

Sin autem Neroni per pudorem salus quæri poterit, laudabitur bonitas naturalis animoque insita, et voluptas illa « circumeundi » bonam conscientiam ostentabitur, et speratus princeps ad instar dei.

(1) *Ann.* XIII, 20 — Cf. XIV, 1 : « diu meditatum scelus. »
(2) *De clem.*, I, 20. 2.
(3) *De clem.*, I, 11. 4. — I, 8. 7. — etc.

Quantumvis igitur licet severum judicium in Senecam, Agrippina interempta, adhibeas, forsitan per hos saltem de clementia libros minus meruerit. Namque, ab Agrippina reductus in patriam, neque, ut opinor, adjuvante amore quoquam aut abditarum voluptatum vinculo (quod quidem ad Agrippinam attinet) (1), sed ut « lætum » foret « in publicum », non audivit de se qualia Afranius Burrus apud Tacitum (2). Ceteroquin ambo hanc laudem ab ipso Tacito acceperunt certamen utrique esse unum contra ferociam Agrippinæ. Fœdusne quoddam ac factio exstiterit, necne, adversus flagrantem illam cunctis malæ dominationis cupidinibus feminam ? Solvit saltem Seneca Neronem matris legibus, nec Patribus

(1) Cf. Beulé, *loc. cit.*, p. 998. — Teuffel, t. II, p. 189 (Bonnard et Pierson ; Vieweg, 1880).

Satis erit contra Dionem LXI, 10 hunc afferre Tacili locum : « At Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exsilii pro Annæo Seneca, simul prætoram impetrat, lætum in publicum rata ob claritudinem studiorem ejus, utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret et consiliis ejusdem ad spem dominationis uterentur, quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficii et infensus Claudio dolore injuriæ, credebatur.» (*Ann.*, XII, 8)

(2) « Ad Burrum Afranium, egregiæ militaris famæ, gnarum tamen cujus sponte præficeretur. » (*Ann.*, XII, 42.)

displicuit (1). Primum igitur dedecori obviam itum est, deinde facinori, simul atque patuit monstrum (2): quam ætatem spectant hi nostri de clementia libri. Posterius quidem altera femina, dico Poppæam, edomito objiciet filio matrem; occumbet mater certamine iniquo: quin ministerium suum Afranius Burrus et Annæus Seneca, « rarum in societate potentiæ, concordes (3), » cupientibus cunctis infringi matris potentiam, retinebunt; nec tam indeclinabilis sceleris patrocinium quam reipublicæ pacem suscipient : equidem apud Tacitum, sicuti in dialogo nostro, nefario sceleri pro viribus obsistentem intueor Senecam, et Burro, quid respondeat, vidente principe atque intelligente, subjicientem (4). Neque, fatenti quidem mihi L. Annæo inesse animum haud semper firmum, in his de clementia libris, invisæ Neroni matris patrocinium quoquo pacto fuisse arreptum, displicet.

(1) Tac., *Ann.*, XIII, 4 et 5 : « Quod quidem adversante Agrippina... obtinuere Patres. » — Dio., LX, 33; LXI, 3 : τὸ νόσημα τῆς ἀρχῆς.

(2) Tac., *Ann.*, XIII, 1 : « Abditis adhuc vitiis ».

(3) Tac. *Ann.*, XIII. 2. — Cf. XIV, 2 de Thrasca: « Exiit... ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non præbuit ». — Cf. etiam *de tranq., animi*, III.

(4) V. Tac. *Ann.* XIV, 7 ; cf. C. Martha, *les Moralistes sous l'empire romain*, p. 89, adn. (Hachette, 1872, 3e éd.)

CAPUT III

DE CLEMENTIA STOÏCA VIRTUTE APUD SENECAM

Hos igitur de clementia libros, non absque doctrina, ad civilem quidem usum præcipue aptos, opportune et suo tempore tenemus in lucem prodiisse, Neroni dicatos: ea spe, ut puto, principem in officio et in natura humana etiamtum retineri posse, aut saltem Senecam cum Burro, Cæsare voluptatibus suis et flagitiis contento, justam mansuetamque imperii administrationem esse persecuturum: quorum utrum vanius somnium esset, nescio. Libentius autem credam, conscium quid sibi exprobrari posset, publicæ suæ vitæ patrocinium sub philosophiæ patrocinio apud æquales et posteros suscepisse, vulgando quid Nero, id est ipse, pro communi reipublicæ bono fecisset, quid speraret, necnon, sed obscuriore et obliqua via, quid provideret et timeret in futurum, haud sine commendatione et laude ingenii sui.

Nam philosophia non jam Romæ erat apud primores civitatis inimicos hospita. Post M. Tullium et Lucretium, Livius et Asinius de rebus phi-

losophicis disserere non dubitaverant, quibus totos se dederant, honoribus neglectis, duo Sextii, quasque Papirius Fabianus, cum in suasoriis controversiisque, tum in disputationibus rite ad hoc destinatis, florida sua oratione illustraverat. Audierat ipse Seneca adolescens Sotionem et audire gaudebat Demetrium et Attalum cynicos, privatim aut coram populo docentes. Audire etiam potuisset Musonium Rufum, equitem et senatorem romanum quas scholas appellabant habentem, cujus auditor et discipulus fuit servus Epictetus, tanti postea Marco Aurelio faciendus. Omnes illos viros non necesse est dicamus pro philosophia rerum indagatrice et dialectica partem parænеticam aut præceptivam potissimum coluisse (1), nimis bona fide acceptis quæ δόγματα vocabant aut decreta. Jam honestissimus quisque secum habebat, ut Senecæ verbis utar, philosophum suum. Nam, dum vulgus contemptu, odio, derisu, contumeliis græculos et græcantes persequi non desinebat, multi inter amplissimos civitatis viros, quotidie Cæsarum tyrannicæ libidini et sævitiæ obnoxios, necessitatem intellexerunt a sapientiæ magistris petendi solatia vitæ et attonitæ labantisque suæ virtutis præsidium, ita ut Ro-

(1) Sen. *Ep.* 64 et 95 — Cf. Gaston Boissier, *Religion romaine*, t. II, p. 25 et Constant Martha, *Études morales sur l'antiquité*, p. 214. (Hachette, 1883)

mæ fuerit illa ætate quod non immerito dixeris philosophiæ regnum et Stoïcismi.

Proinde non mirum est Senecam philosophi et Stoïci personam affectavisse, etiam cum de re publica scriberet. Neque enim solummodo adversus illos qui hominem voluptati donabant, Stoïcorum præcepta vindicare aggressus est (1) : a Stoïcis etiam transfert « virtutibus inter se concordiam esse, neque ullam altera meliorem aut honestiorem (2) » ceterasque sensui communi contrarias opiniones. Immo sapientem illum ipsum, a Cicerone tantopere laudatum (3), ut in dialogo *de ira*, sic in altero *de clementia* libro, descripsit copiose et libenter extulit.

Quomodo autem de clementia ipsa cum Stoïcis consenserit, perspicere nunc mihi in animo est : his quidem satis responsum ratus quibus beati Pauli disciplinam L. Annæum audivisse placet.

Sane non id asseverare ausim nil nisi stoïcum reddere hunc nostrum dialogum. Nam si hunc

(1) Cf. *De clem.* I, 3. 2.
(2) *De clem.* I, 5. 3.
(3) *De fin.* III, 22. — Cf. *De clem.* II, 5, 6, 7.

prioris libri locum afferas quo legitur « a duabus causis punire princeps solet, si aut se vindicat aut alium (1) », sequarisque usque ad vicesimum secundum explicitam sententiam, inter tria illa quæ lex secuta est in « alienis » injuriis vindicandis, hoc peculiariter ad Stoïcorum doctrinam pertinere opineris « ut eum, quem punit, emendet », a Platone saltem enucleatum (2). Mitto etiam alia loca (3). Sed, si quid de venia scripserit L. Annæus intuearis, id jam primo adspectu agnoscas stoïce scriptum, neque Seneca est infitiatus. Atqui de clementia quærenti nonnullius momenti est de venia subtiliter et acute disputare.

Fatendum est profecto ipsi Senecæ prope displicere hasce scholasticas opiniones ac finitiones: quas quidem et ego jam perhibebo, et ipse est breviter complexus. Nempe aliud veniam, aliud clementiam valere professus, plenioremque esse clementiam quam venia est et honestiorem, hoc addidit: « De verbo, ut mea fert opinio, contro-

(1) *De clem.* I, 20, 1.

(2) Omitto hæc loca ne quæstiones quæstionibus nectam. At sciendum est quod Platonicum est Stoïcum esse posse. Nescio quis Stoïcus totum conscripserit librum de eis quæ Platoni cum Stoïcis communia sunt.

(3) « Hanc sapiens quare non debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc propositum est; ego breviter tanquam in alieno judicio dicam. » (*De clem.*, II, 7, 1.)

versia est, de re quidem convenit (1). » Quid etiam memorem L. Annæum in multis Epistularum locis vanam dialecticorum subtilitatem castigavisse, tanquam delirationem, aut litterarium philosophorum ludum, aut nugas solertissimas? Neque enim latrunculis ludere, ut ait, sed opera sapientiæ potius quam vocabula callere gaudet (2), atque censet, ut breviter dicam, has spernendas esse disputationes.

Stoïcæ tamen disciplinæ propriorem dialogi partem ingrediamur, dumeta ceteroquin non ita spinosa.

Nullum igitur, si Senecam sequaris, clementia ex omnibus magis quam regem aut principem decet. Omnibus enim decora, maxime tamen imperatoribus, quanto plus habet apud illos, quod servet, quantoque in majore materia apparet (3). Mitto quidem quantum eorum intersit virtutem il-

(1) *De clem.* II, 7,4.
(2) Cf. *Ep.* 45, 49, 71, 106, 113, 117.
(3) *De clem.* I, 3.3. — I, 5. 2.

lam colere, mittam etiam decorum esse et magni imprimis animi si quis impune lædi se patiatur princeps (1). In secundo autem dialogi libro, clementiam finire instituit, atque opponere primum crudelitati (2).

De quibus nunc quidem pauca. Etenim quid sit clementia qualisque sit, et quos fines habeat, ab ipso Seneca paucis verbis est expositum. Nempe, ne una finitio male rem comprehendat, placuit ei plura proponere, atque ita statuit clementiam esse temperantiam animi in potestate ulciscendi, vel lenitatem superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis (3). Jamque aliam usurpavit quam afferre operæ pretium est: « Dici scilicet potest et inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. » Sed præcipuam hancce proposuit finitionem, clementiam esse moderationem, aliquid ex merita ac debita pœna remittentem (4). » Quid ergo opponitur clementiæ? Crudelitas, quæ nihil aliud est quam atrocitas in exigendis pœnis.

Hinc unum jam excerpam severitatem clementiæ convenire, si sequaris Neronis ministrum. Hoc equidem libenter colligam: etenim ita censuisse

(1) *De clem.* I, 20. 2 et 3.
(2) *Ibid.* II, 3 et 4.
(3) *Ibid.* II, 3. 1.
(4) *Ibid.* II, 3. 2.

apparet quoscumque juvat respublica constanter gesta. Atque, ut exemplo utar, legere est gravem illam M. Tullii ad Quintum epistulam : qua conditione liceat, immo expediat magistratibus justam et sibi constantem præstare severitatem hic doceamur (1).

Nunc aliud stoïce sonans in dialogo accuratius placet inspicere; nempe postquam de crudelitate satis disseruit L. Annæus, clementiam de misericordia secernere aggressus est (2). Sed quo clarius hanc sententiam illustrem, M. Tullii vel primum de clementia sententiam afferam.

Nempe apud illum virum græcæ sapientiæ peritum eumdemque romanæ auctorem, aliquid de ultione dictum reperire est quod Senecæ placitis libenter conferas. Et jam antea Plautum Romani servum nescio quem audivere sic loquentem : « Tam ego homo sum quam tu. » (3) Atque ita

(1) I, 7.

(2) *De clem.* II, 4: « Ad rem pertinet quærere hoc loco, quid sit misericordia; plerique enim ut virtutem eam laudant et bonum hominem vocant misericordem. Et hæc vitium animi est. »

(3) *Asinar.*, II, 4. 472. — Cf. F. Boissier, *Relig. rom.*, t. II, p. 3 et 4.

M. Tullius: « Hoc natura præscribit ut homo homini, quicumque sit, ob eam causam quod is homo sit, consultum velit (1). » Sed etiam de clementia disseruit, immo idem valere eam ac placabilitatem censet, quod quidem ad proprias injurias attinet, neque quidquam laudabilius, aut magno et præclaro viro dignius esse asserit. Inde morositatem, ut inutilem et odiosam, arcere instituit, atque ita mansuetudinem ac clementiam monet esse probandas ut adhibeatur etiam severitas reipublicæ causa. Reipublicæ enim utilitatem, quoties quis inter magistratus noxam castiget, decet ante oculos habere. Sed hoc imprimis ad Senecam spectat quod iram maxime M. Tullius in puniendo prohibet. Quamobrem verba ipsa Ciceronis usurpabo peripateticos refellentis qui laudabant iracundiam et dictitabant utiliter datam a natura (2): « Illa vero, inquit, omnibus in rebus repudianda est, optandumque ut ii, qui præsunt reipublicæ, *legum similes sint* quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur. »

Equidem, si de clementia peculiariter scripsisset M. Tullius, non longe ab his, quæ jam in Seneca afferam, discessurum fuisse opinor, adeo

(1) *De officiis*, III, 6. — Cf. *De ira*, I, 5. — III, 27. 2 : « Quam iniquus est, apud quem, hominem esse, ad impetrandam veniam nocet. » — Etc.

(2) Cf. etiam Sen. *de ira* I, 9 sq. (Haase)

Sapientis exemplar miratur in libro illo qui inscribitur *de finibus*.

Namque et ipse Seneca inde propemodum cepit principia, ut ii qui præsunt reipublicæ legum similes sint. Quæ mox quidem inspiciemus. Misericordiam nunc, ut vitium animi, notatam his verbis afferre mihi in animo est et paulisper in medium vocare : « Vitare debemus ne per speciem severitatis in crudelitatem, neve per speciem clementiæ in misericordiam incidamus. In hoc, leviore periculo erratur : sed par error est a vero recedentium (1). »

In quibus hoc primum intelligere est æque M. Tullio et L. Annæo placuisse mansuetudinem simul atque clementiam : Senecæ autem misericordiam vitandam. Sicut enim religio deos colit, ita superstitio violat (2). Immo Seneca misericordiam pessimo cuique esse familiarissimam animadvertit, atque, ut ait, anus et mulierculæ sunt quæ lacrimis nocentissimorum moventur, quæ, si liceret, carcerem effringerent (3). Immo, ut breviter et proprie referam Senecæ sententiam, misericordia vitium est pusilli animi (4), ad speciem alienorum malorum succidentis.

(1) *De clem.* II, 4. 4.
(2) *Ibid.* II, 5. 1.
(3) *Ibid.* II, 5. 1.
(4) Οὐδένεια.

Atqui quantum a rationali habitu animi distet illud vitium, haud res est magni laboris intelligere, modo teneas quantum differat apud Senecam, cum in ceteris dialogis, tum in nostro *de clementia*, inter animi *motum* quem potius appetitum gallice vocemus, et *affectum* contra sive *impetum*. Hanc enim doctrinam expedit in promptu habere ut ratiocinationem illam, qua dialogus finem habet, intelligamus.

Quæ autem fuerit apud Senecam hæc de primo animi motu sive appetitu, et de affectu doctrina, non supervacuum videtur disserere.

Sic igitur eam complectar. Nunquam enim impetus sine assensu mentis est (1) : inde stoïcum profecto principium capit L. Annæus, cum de clementia, tum de omnibus virtutibus quas impetuum, sive affectuum, vim decet a se propulsare. Affectus autem sunt motus animi improbabiles, subiti et concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum, sicut distillatio una nec adhuc in morem adducta tussim facit, et vetus phthisin (2)

(1) *De ira*, II, 3. 4.
(2) *Ep.*, 78, 12.

Atqui cupidinibus quadam ex parte assentire rationem Stoïci censuerunt, neque oriri posse eas judicavere nisi mens sineret, tanquam judex male fidus, cum contra aut ortos repressisse atque expellere impetus deceat, aut vigilare ne labatur animus (1). Non igitur affectum vocat Seneca primum animi ictum (2), velut arridemur ridentibus et contristat nos turba mærentium : omnia ista motus sunt animorum moveri volentium, nec affectus, sed principia præludentia affectibus. Immo,— hoc enim premendum est apud Senecam,— nihil ex his quæ animum fortuito impellunt affectus vocari debet: ista, ut ita dicam, patitur magis animus quam facit. Ergo *affectus* est non ad oblatas rerum species moveri, sed permittere se illis, et hunc fortuitum motum persequi (3).

Neque etiam, quo clarius hæc omnia illustrentur, novissimam facem a L. Annæo mutuari dubito : quomodo enim oriantur et crescant et

(1) *Ep.*, 99, passim. — *Ep.*, 116 (*Omnino expellendos affectus*)

(2) *De ira*, II, 1. 4. — II, 2. 2 et 5.

(3) *De ira*, II, 3. 4 : « Ira non moveri tantum debet, sed excurrere: est enim impetus. Nunquam autem impetus sine assensu mentis est. Neque enim fieri potest, ut de ultione et pœna agatur animo nesciente: putavit se aliquis læsum, voluit ulcisci, dissuadente aliqua causa statim resedit: hanc iram non voco, [*voco*] motum animi rationi parentem. Illa est ira quæ rationem transilit... Ergo prima illa agitatio animi quam species injuriæ incussit, non magis ira est quam ipsa injuriæ species; sed... ira est concitatio animi ad ultionem voluntate et judicio pergentis. »

augeantur affectus, hoc ad rem, atque Seneca omnia argute cum ordine sic edocet : « Est primus motus non voluntarius, quasi præparatio affectus et quædam comminatio (1). Alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, cum læsus sim, ant oporteat hunc pœnas dare cum scelus fecerit. Tertius motus est jam impotens, qui non si oportet, ulcisci vult, sed utique qui rationem evicit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus..... Alter ille motus qui judicio nascitur, judicio tollitur (2). »

Sed hactenus de affectu : quod superest, nunc hoc quæramus in quo constet pravum illud mentis judicium, assensus ille, cupidinis origo. Neque enim aliter verba ipsa intelligi possunt quibus ostentatur, et in libris de clementia, Sapientis imago.

Pravum igitur illud judicium oritur quotiescumque vera bona aut vera mala ab indifferentibus ac

(1) Quam προπάθειαν vocabat Chrysippus.

(2) *De ira*, II, 4. 2.

mediis — quæ Græci quidem ἀδιάφορα vocant — haud satis probo discrimine dijudicantur. Quoniam enim nihil bonum est nisi honestum, nihil malum nisi turpe, necesse est, quæ supersint, indifferentibus annumerare : quæ prout eis utere, aut prosunt aut nocent. Atque hoc peculiariter Stoïci distant a Cynicis : nempe illi, quæ nec bonis nec malis annumerare queas, ea censent corporis animique nostri naturali habitudini favere aut contra repugnare posse, ideoque digna esse quæ requiras aut contra declines. Verumenimvero, quamvis non par sit divitem vivere aliquem aut pauperem, sanumve aut ægrum, nullo pacto, naturæ aut fortunæ dotes cum veris bonis, virtutibus scilicet conferri posse judicant. Bono enim obstringimur, non delectamur, neque bonum inter illa quæ deliguntur collocare est, sed imperatorium dicas esse et propter ipsum amabile. Assectantur enim bonum, tanquam regem suum, illa, quæ Græci καθήκοντα vocant, naturæ convenientia, atque ordine deducunt prout æstimantur, sive principem locum obtineant (τὰ προηγμένα), sive secundum aut tertium aut non ita propinquum (τὰ ἀποπροηγμένα) sed rex ille solus incedit, neque ex pari vivit cum his quæ neque bonis neque malis annumeres (1).

(1) Cf. J. Denis, *Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité*, t. I, p. 311, sq. (Paris, Thorin, 2e ed. 1879)

Inde jam intelligemus quibus de causis sapientem deceat clementiam exercere, misericordia autem ac venia abhorrere. Sapiens enim, ut ait Seneca, negat misereri, negat ignoscere (1). Neque enim misericordia aut venia rationi convenit: clementia contra accedit rationi (2).

Nempe, ut a misericordia incipiamus, Senecæ argumentationem afferam. Quamobrem enim depravetur mentis judicium, sic breviter comprehendere est: « Misericordia non causam, sed fortunam spectat, » tanquam qui, ut exemplo utar, juste damnatum reum eumdemque lacrimantem et supplicium deprecantem misereatur. Atqui, in tali discrimine, misericordia ægritudo animi est ac tristitia præpostera. Immo inhabilis est ad dispiciendas res, utilia excogitanda, periculosa vitanda, æqua æstimanda (3); contundit mentes mæror, abjicit, contrahit (4). Etiam vicina est mi-

(1) *De clem.*, II, 5. 2.
(2) *Ibid.*, II, 5. 1.
(3) *De clem.*, II, 6. 1.
(4) *Ibid.*, II, 5. 5.
Verbum hoc « contundit » non sensu caret et Seneca sic fortasse scripsit. Anteponamus autem « confundit », quia in sermone stoïco vox σύγχυσις usque recurrit in finitionibus affectuum.

seriæ misericordia (1), et quemadmodum imbecillos oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem et ipsi suffunduntur, aut morbum esse non hilaritatem semper arridere ridentibus et ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere, ita misericordia vitium est animorum nimis miseria paventium (2).

Quod ad veniam autem attinet, similiter ratiocinatur Seneca, aut potius rationes eorum affert quibus hoc propositum est. Nempe quoniam venia est pœnæ meritæ remissio, quia ei ignoscitur qui puniri debuit (3), non rationi venia convenit. Etenim qui ignoscit, fatetur aliquid se, quod fieri debuit, omisisse (4). Quam autem pœnam exigere debuisti, quo fretus jure donas, aut temetipsum subducis iis de quibus ratio ex æquo et bono decrevit? Quid reputans officio tuo dees? Nonne servum te esse, non liberum, profiteris? Clementia enim liberum arbitrium habet (5).

(1) Argumentum istud Senecæ proprium esse facile credideris, si reputaveris nullam esse affinitatem nominis ἐλεημοσύνη cum verbis quæ miseriam græce significant.

(2) *De clem.*, II, 6. 4. — Cf. *de ira*, II, 15. 3.

(3) *Ibid.*, II, 7. 1.

(4) *Ibid.*, II, 7. 2.

(5) *Ibid.* II, 7. 3.

Haud scio quibus argumentis Stoïci græci paradoxa ista confirmarent. Sed certum est portentosa hæc decreta Stoïcorum omnium fuisse. « Sapientem (dicunt) non misericordem esse (ἐλεήμονας) neque veniam ulli habere (συγγνώμην), nam pœnas legibus debitas

Hoc est quod toties apud Stoïcos Sapientis imago describatur, primo quidem adspectu pæne odiosa, præsertim quod Neroni de clementia a prudenti magistro memoratur.

Ipse quidem Seneca Sapientis tristitiam ac severitatem verborum lenitate mitigavit. Illud enim quod ex venia consequi velis, honestiore tibi via tribuet (1). Immo licet non ignoscat, idem facit quod si ignosceret: aliquem verbis tantum admonebit, pœna non afficiet, ætatem ejus emendabilem intuens, aliquem invidia criminis manifeste laborantem jubebit incolumem esse, quia deceptus est, quia per vinum lapsus. Hæc autem omnia non veniæ, sed clementiæ opera sunt (2). Itaque clementia hoc primum præstat ut, quos dimittit, nihil aliud illos pati debuisse pronuntiet. De misericordia autem similiter : omnia enim quæ, qui miserentur, solent facere, libens et altus ani-

nemini remissurum; quoniam indulgentia (τό γ' εἴκειν) ac misericordia (ὁ ἔλεος) et ipsa nimia parcendi facilitas (ἐπιείκεια) est pusillitas animi (οὐδένεια) in suppliciis sumendis bonitatem (χρηστότητα) simulantis; neque has pœnas duriores arbitrari. » (Diogenes, VII, 64, 123).

Dicit fere eadem Stobæus : «..... Unde recte nunquam (sapientem) ignoscere peccantibus poni. Nec benignum (ἐπιεικῆ) esse sapientem dicunt, quod benignus justum supplicium deprecetur; ejusdem enim fore benignum esse et pœnas legibus constitutas credere justo duriores esse ac legislatorem contra æquitatem constituisse. » (*Ecl.*, II, 6 (178). — Meineke, t. II, p. 52.)

(1) *De clem.*, II, 7. 2.

(2) *Ibid.* II, 7. 2 et 3.

mo faciet (1). Nec miserebitur Sapiens, sed succurret ac proderit, quotiesque poterit, fortunæ intercedet (2).

Quæ autem et multa alia similia fatendum est, nec Seneca infitias iret, plerisque videri « invisa, si per se posita sint », et sectam duriorem quam e re generis humani, si strictius ejus decreta acceperis. Frustra, licet non sine jure, Seneca huic crimini objicit « nullam sectam benigniorem lenioremque esse, nullam amantiorem hominum et communis boni attentiorem, ut cui propositum sit usui esse et auxilio, nec sibi solum, sed universis singulisque consulere (3). » Nihilominus species manet odiosa et importuna. Quod fit non solum ex intemperantia quadam orationis, sed ex eo quod magis ambitiosa est et superba affectuum descriptio, quam diligens et omni ex parte absoluta. Vera sunt multa quæ Seneca a magistris suis mutuatus est, multa quæ ab experimentis atque meditationibus adjecit. Sed æque obliviscitur ac

(1) *Ibid.* II, 6. 1, sq. (Gertz).
(2) Cf. *De clem.* II, 6 cum *de ira* I, 12. 1, 3.
(3) Cf. *De clem.*, II, 3. 2 et 3.

ductores sui, affectus, qualescumque sint, neque malos neque bonos esse atque ut vitiorum, sic virtutis materiam fieri, prout eis utaris, illisque non minus adjuvari rationem, ita ut funditus eos tollendo simul virtutem sublaturus sis aut saltem mancam, debilem et sine motu facturus. Certissimum mihi videtur multam vim, multum impetum, multam alacritatem animis affectu addi. Etenim mens ipsa in opere proprio (id est in cogitando) friget et languescit nisi flamma interiore excitatur sustentaturque. Atque ut me referam ad exempla ab L. Annæo laudata, fieri non potest ut pietas sine summa indignatione fungatur officio suo, si quis forte videat aut patrem cæsum aut matrem raptam aut filium dilaceratum (1); neque clementia bene utetur qui, nullo pacto, misericordia movetur.

Ceterum inclinatio illa animi ad lenitatem in pœnis exigendis, in qua constat clementia, quid est aliud quam affectus non rationi contrarius,

(1) Non, cum ejusmodi aliquid sapienti occurret, tangetur animus eritque solito commotior? sibi objicit Seneca. — Et respondet tantum non ridiculo modo: « Fateor: sentiet levem quemdam tenuemque motum » (*De ira*, I, 16. 7: « Suspiciones quasdam et umbras affectuum » — cf. II, 2 et 3). — Immo commotissimus erit. Immo altissimo dolore afficietur:

> Mollissima corda
> Humano generi dare se natura fatetur,
> Quæ lacrimas dedit.
>
> (Juv., Sat. XV, 131-133)

sed sua sponte sine ratione ortus ad speciem mali alieni? Dum Seneca et Stoïci gaudent Sapientis effigiem atque ἰδέαν exornare, aliquando naturam derelinquunt atque hominem, ut Cicero ait, de homine tollunt.

Nil mirum est ergo si, non modo vulgus imperitum, sed periti non stoïcissantes Sapientem illum habuerunt pro terriculo et portento.

Equidem in locis quibusdam Epistularum (1) minus inamabilis et superba apparet imago, quod tunc Seneca non jam sapientem, sed, ut verbum M. Tullii usurpem, viros honestos secundæ notæ sæpe depingit. Attamen ipsis in epistulis non reperias justum illum christianum: Sapiens enim ille, quasi Deo par, semper facit quæ voluit, et ratio voluit. Nihil enim facit quod non debuit; nihil prætermittit, quod debuit. Providet autem et in expedito consilium habet. Non igitur in illum ægritudo cadit; serena ejus mens est, nec quidquam incidere potest, quod illam obducat. Neque enim potest magnus esse idem ac

(1) *Ep.* 85, 29: « Sensum hominis nulla exuit virtus ». — *Ep.* 71, 27: « Memini et duabus illum partibus esse compositum; altera est irrationalis, hæc mordetur, uritur, dolet; altera rationalis. » — *Ep.* 57, 4: « Quædam enim, mi Lucili, nulla effugere virtus potest; admonet illam natura mortalitatis suæ. » — Cf. *de Prov.* 2, 2: « Nec hoc dico: non sentit illa, sed vincit. » — *De const. sap.* 10, 4: « Hæc non nego sentire sapientem; nec enim lapidis illi duritiam ferrive asserimus. »

mæstus. Eamdem autem semper faciem servabit placidam, inconcussam. Donabit lacrimis maternis filium, ut ait Seneca, et cadaver etiam noxium sepeliet, sed faciet ista tranquilla mente, vultu suo (1).

Officia enim sua vir bonus exsequitur inconfusus. Pater cæditur? Defendam. Cæsus est? Exsequar; quia oportet, non quia dolet (2). Quod si id te offendit Senecam de clementia adeo superbe, de misericordia ac venia adeo inhumane fuisse locutum, non æquum est quidem prætermittere ita locutum illum ut Stoïcis assentiret. Lacrimæ enim illæ, affectus illi, impetus sunt, aut vitia aut morbi, neque de motibus illis aliter censet L. Annæus ac Stoïci, neque videt quomodo salubris esse aut utilis possit ulla mediocritas morbi. Et Stoïcis *velle* placet, *cupere* odiosum est, ita ut ab utraque parte vel eadem agas, a priore quidem intrepidus agas et certiore consilio. Affectus enim omni modo expellendus, quia, ubi nimium indulseris, fit vitium; desinitque quidquam ratio posse, si nihil potest sine affectu, et incipit par illi similisque esse (3).

Hinc solet sumere principia L. Annæus. Nempe affectus cito cadit: æqualis est ratio.

(1) *De clem.*, II, 6. 2; II, 7. 1 et 3; II, 6. 1.
(2) *De ira*, I, 12. 2.
(3) *De ira*, I, 10 et 16.

CAPUT IV

DE CLEMENTIA APUD PRINCIPEM DEO, SIVE MUNDI ANIMO, ASSIMILATUM

I

Hæc autem nihilominus de clementia latius etiam valere, et ad romanam ipsam pacem spectare quodam modo mihi videntur.

Nempe Senecæ quidem judicio, ad perficiendam illam pacem mirum quantum prosit principis clementia, tanquam auctoritatis supplementum. Plebis enim studia plerique captaverunt romani imperatores, et id imprimis intellexerunt sibi mandatum ut pacem afferrent et romanam securitatem. Verumenimvero ut longe major civium pars erat quæ imperatoriam probaret civitatis formam (1),

(1) Cf. Joseph, *Antiq. Jud.*, XIX, 3 (Caio interempto) : Διεστήκεσαν δὲ αἱ γνῶμαι τοῦ τε δήμου καὶ τῶν ἐκ τῆς βουλῆς · οἱ μὲν ἀξιώματος τε τοῦ προτέρου ὀρεγόμενοι καὶ δουλείαν ἐπακτὴν αὐτοῖς ὕβρει τῶν τυράννων γενομένην διαδιδράσκειν, χρόνῳ παρασχόν · ὁ δὲ δῆμος φθόνῳ τε πρὸς ἐκείνην καθιστάμενος καὶ τῶν πλεονεξιῶν αὐτῆς ἐπιστόμισμα τοὺς αὐτοκράτορας εἰδὼς καὶ αὐτοῦ καταφυγὴν, ἔχαιρε τῇ Κλαυδίου ἁρπαγῇ, στάσιν τε ἔμφυλον, ὁποία καὶ ἐπὶ Πομπηίου γένοιτο, ἀπαλλάξειν αὐτῶν ὑπελάμβανον τοῦτον αὐτοκράτορα καθιστάμενον.

ita primarius quisque vir, aut dives, atque ii quos noverat princeps non omnino metu vacabant (1), neque illis in jure multum erat præsidii: quod ipse jam antea L. Annæus expertus est, Caio imperante. Cum enim omnia unius dominatu tenerentur, et penes principem esset vita civium atque mors, inde evenit ut privatam offensam cum perduellione sæpius misceret Cæsar.

Principem igitur de clementia L. Annæus, non præceptoris tantum more, sed ad stoïci philosophi instar etiam admonet, et deorum, aut potius Stoïcorum Dei meminit principi proponere exemplar. Sic Bossuetius noster, cum Ludovico regis officia memoraret, ipsa sacerdotis consilia summis christianæ fidei principiis censuit esse corroboranda. Jure enim divino consecratum regem allocutus admonuit ut Deum imitaretur (2).

Neque aliter Seneca clementiam Neroni commendavit, non tam quia virtutis vim illam habere duceret, quam quod ea lege constitutum imperatorium munus fuisse judicaret.

Quid autem de illo imperatorio munere senserit, primum intelligamus.

(1) Tac. *Hist.* IV, 74: « Laudatorum principum usus ex æquo, quamvis procul agentibus; sævi proximis ingruunt. »

(2) V. G. Boissier, *la Religion romaine*, t. I, p. 184-5.

Illa enim ætate, erat cur Seneca tantæ potestati fines et quasi vincula requireret: neque sine ambagibus de imperio statuit olim divus Augustus. Quin etiam Nero recte dixit non satis compertam fuisse superioribus principibus auctoritatis suæ amplitudinem. Quæ quidem Caium etiam fefellit, quoniam comitia plebi reddere animo conceperat. Ad hoc divus ipse Augustus liberæ civitatis restitutorem esse se profitebatur: verbis quidem speciosum, re commenticium; atque inde distracta laceratagque est respublica. Patres enim conscriptos præteritæ civitatis formæ infirmos quasi procuratores, auctoritate nulla, suspicabantur tamen principes, quia de collegio tanto vox interdum erumpere potuit, aut metuendum contra Thraseæ silentium. Hinc complura Cæsarum facinora orta esse apparet, quoniam egregium olim illud corpus, a quo mandata foret imperatoria etiam auctoritas, verebantur ne caput extolleret et liberum esse se existimaret ac profiteretur.

Fictæ autem auctoritatis consortio illi Seneca unius potestatem anteponit, lætissimamque formam reipublicæ censet cui ad summam libertatem, ut ait, nihil deest, nisi pereundi licentia (1).

(1) *De clem.*, I, 1, 8.

Quanquam enim, dialogi initio, jus eligendorum imperatorum senatui adjudicare videtur (1), tamen his verbis, ut opinor, populum memorem facit et a senatu et a militibus Neronem fuisse electum. Quod autem apparet in toto dialogo, placet Senecæ unica eademque principis absoluta potestas (2). Neque enim, re vera, senatui quidquam aliud jam licebat nisi respondere, si consuleretur : imperator autem, utpote senatus princeps, sententiam dicebat cui Patres assentirentur. Cum igitur Neroni L. Annæus notissimam illam absolutæ potestatis imaginem dialogi initio describit, suspicatur gratum ei sane fore : hoc tantum expressit quod Romæ quidem, jam a regum tempore, in publico jure continebatur. Nempe, ut exemplis utar, locutus hoc primum « tu es vitæ necisque gentibus arbiter », jus notum recte memoravit, quo neque principi, neque senatoribus, neque plebi admirationem poterat injicere (3) : jus certe legibus constitutum, ex quo Romæ fuere magistratus, et tri-

(1) « Placui, electusque sum » (*De clem.*, I, 1. 2).

(2) Opinione in ista longe aberrat a Stoïcis qui, si qua est Diogeni fides, « reipublicæ formam esse optimam quæ sit mixta ex regno et populari dominatu optimatumque potentia » asserebant. (Πολ)ιτείαν δ' ἀρίστην τὴν μικτὴν ἔκ τε δημοκρατίας καὶ βασιλείας καὶ ἀριστοκρατίας (VII, 60 (131) sub calcem)

(3) V. Fustel de Coulanges, *Histoire des institutions politiques de l'ancienne France*, 1ª pars, lib. II. cap. I : La monarchie romaine (Paris, Hachette, 1875).

buni, et prætores, et ipse paterfamilias idem jus domi usurpare potuit (1).

Neque quidquam huic juri fuerat immutatum. Plebis enim aut civitatis quasi personam gerebant magistratus, et Romæ quidem penes populum fuit tota respublica, et reipublicæ absoluta potestas. Namque magistratuum hanc potestatem nullo modo circumscriptam fuisse dicas, nisi quod terminis quibusdam finivit eam ipsorum magistratuum numerus ac varietas. Civitati quidem romanus quisque vir quasi serviens libertatis suæ tamen conscius erat, quia re vera non ipse extra populum, cum populus suam ipsius potestatem mandaret magistratibus. Neque illa civitatis forma, quod imperium vocatur, adeo propere fuisset constituta, nisi absolutæ potestatis principium ipsis legibus fuisset insitum. Jus modo illud absolutum gravius factum erat et magis timendum propterea quod magistratus, numero quidem complures, re ad unum quasi coivere, cujus et munus factum erat multiplex et potestas unica in universum.

Non igitur novum aliquid Seneca protulit, quoniam jus vitæ necisque penes magistratus superesse et a senatu ipso omnibus principibus mandari intelligebatur. Hoc tantummodo convertere

(1) Cf. tamen J. Denis, *op. cit*, t. II, p. 113-114.

ad publicam utilitatem, et clementia temperare sibi proposuit.

Quod autem ad illam principi descriptam immensæ potestatis imaginem attinet, non ad instar noti apud nos præceptoris eam explicuit, regem suum allocuti : « O rex, omnia ista tua sunt. » Hoc tantummodo censuit romanarum rerum interesse si unus magister exstaret et magistratus omnipotens. Qualem quisque sortem statumque habeat, ut ait, in manu Neronis est, quoniam et censoris potestatem gerit imperator, et civitatem, si res ita fert, largitur, et quos delegit equitibus adscribit, aut Patribus. Ad hoc principem populi urbesque litigantes arbitrum statuunt, et adversus prætores tutorem habent, et ex responso ejus lætitiæ causas concipiunt. Et vectigalia speculatur princeps, et indicit quot milites colligere, quaque in provincia, expediat. Nullam enim partem florere nisi volente propitioque principe Seneca commemorat, Neronem allocutus. Ad hoc, præest exercitibus princeps : inde « hæc tot millia gladiorum » quæ pax Neronis comprimit, « ad nutum stringentur ». Quas autem nationes funditus excidi oporteat, princeps etiam statuit, et quas transportari, sicut turbulentis populis et imperium recusantibus uti consuetudine invaluerat. Rursus quibus libertatem dari expediat, quibus eripi, quæ ruant urbes, quæ oriantur, ad Neronem

haudaliter attinet atque ceteros imperatores, quia principis est in rem romanam hostiles gentes paulati[illegible]cipere atque subigere. Immo quos reges [illegible]cipia fieri, quorumque capiti regium circum[illegible]ari decus oporteret non fefellit Neronem, quoniam hoc ipsum, illo etiam tempore, accurabat in Armenia.

Quam quidem potestatem immensam romanæ pacis interesse, eamdemque multum valere ad consociandum genus humanum ratus Seneca non Neronem tantum admonuit, sed et illos quibus fiduciam excutere potuit Cæsarum intemperantia. « Immitte, ut ait, oculos in hanc immensam multitudinem discordem, seditiosam, impotentem, in perniciem alienam suamque pariter exsultaturam, si hoc jugum fregerit (1). » Hoc enim vehementer afficitur quod hominum quasi corpus unum fieri [illegible]test ut romana compositione conglobatum, hæc [illegible] et hic maximi imperii contextus in partes [illegible]ulta[illegible]lissiliat, modo novæ res oriantur aut im[illegible] clades (2). An T. Livius mole sua labora-

(1) *De clem.*, I, 1. 1.

Cf. Ἐπικτ. Διατριβ., III, 13. 9 : ὁρᾶτε γὰρ ὅτι εἰρηνην μεγάλην ὁ Καῖσαρ ἡμῖν δοκεῖ παρέχειν. — et III, 22. 25.

(2) Cf. *De clem.*, I, 4. 2.

Cf. Plutarchi de fortuna Romanorum, II : « Sicut enim physici tradunt, mundum non fuisse mundum, neque corpora voluisse cocuntia et commixta communem ex omnibus formam naturæ præbere : sed aliis parvis ctiamnunc ac sparsim agitatis, subterlabentibusque et

re rem romanam sensit, Seneca contra, in media republica versatus, et intuitus rerum summam ac mundi pæne totius adhuc noti orbem immensum, non idem pertimere potuit, neque ullam noscere servandæ pacis rationem, præter omnipotens caput, unicum scilicet magistratum, et omnibus consulentem ? Itaque imperii ruinam « romanæ pacis exitium » fore profitenti haud infitias ivisse plerosque opinor, quippe qui, illa ætate, quam valeret hæc sententia plane intelligerent (1).

interceptionem nexumque effugientibus (ὑποφευγόντων τὰς ἐπιλήψεις καὶ περιπλοκάς), grandioribus autem et compactis jam atrocia invicem certamina exercentibus, turbasque dantibus, cum fragore fluctuasse omnia, antequam terra suam nacta ex compactis et agitatis magnitudinem ac stabilita esset, eam firmatam, etiam reliquis in ipsa aut circum ipsam subsistendi opportunitatem exhibuisse: ita maximis hominum potentiis atque imperiis casibus jactatis et inter se collisis, quod nemo unus imperaret reliquis, vellent omnes, inexplicabilis fuit motus et error ac mutatio continua omnium : donec Roma vires nacta et aucta, et in se constringente cum gentes et populos, tum peregrina etiam atque transmarina regna et dominia, maximæ res fundamentum cui inniterentur et firmitatem adeptæ sunt, imperio in pacatum statum circulumque immobilem redacto (εἰς κόσμον εἰρήνης καὶ ἕνα κύκλον τῆς ἡγεμονίας ἅπταιστον περιφερόμενα). (Plutarchi scripta moralia, Ed. Firmin-Didot, Fr. Dubner emendante, græce et latine, vol. I, p. 389-390.)

(1) Cf. *De clem.*, I, 4. 2.

Cf etiam Tac.. *Hist.* IV, 74, Cerialis : « Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum jus concederetis. Nos, quanquam toties lacessiti, jure victoriæ id solum vobis addidimus quo pacem tueremur. »

Adde Tac. *Hist.* I, 1 : « Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit »; *Hist.* I, 16 sub nomine Galbæ : « Si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram a quo respublica inciperet. Nunc eo necessitatis jampridem ventum est.... » — Cf. *Hist.* IV, 8,

Etenim sua interesse provinciæ, si staret imperium, pernoverant. Ceteroquin ex quo, civitatis nomine sublato, municipiis tantummodo jura legesque ac vitam prorogare licuit per senatum, illam romani imperii inter se divisam molem necesse erat domesticis conflagrare bellis, si vinculum solveretur quo connexa stabat et conglobata. In imperio scilicet superesse et unitatem et securitatem, usque ad barbaricum impetum tot gentes opinabuntur, quasi amicitiæ ac societatis necessitudinem. Atqui unitate pacem valere vel ex titulis discas, quoniam in titulis « pacatorum » nomen imperatores sunt adepti. Quin hocce etiam nonne pro argumento est, quod tamdiu imperium stetit ac perduravit?

Marcellus (Eprius): « Se meminisse temporum quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint: ulteriora mirari, præsentia sequi; bonos imperatores voto expetere, qualescumque tolerare. » — *Ann.* VI, 7: « Quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi in occultum. » — Et hicce præsertim locus, *Ann.* IV, 33: « Nam cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt: delecta ex his et consociata reipublicæ forma laudari facilius quam evenire; vel si evenit, haud diuturna esse potest. » — Porro referre est *Ann.* III, 27: « corruptissima republica ».

Atqui jam attigimus quid in Senecæ sententia, peculiari modo, animum detinere debeat.

Tantum enim auctoritatis imperatori mandatum, vitæ inquam necisque jus, oportuit ad publicam utilitatem verti : opus quidem difficillimum. Neque satis erat Senecæ Neronem de clementia fuisse monitum. Quin publicam illam virtutem stoïcis principiis stabilire aggressus, stoïcam illam mundi moderationem secundum excelsius exemplar quod in mente quasi fovebat, descripsit.

Nempe primum populari quodam dicendi genere ac vulgato, quod ad deos attinet, sententiam explicuit.

Stoïci enim quodam modo fictis vulgi diis indulserant. Verumenimvero romani imperatores pro diis tunc quoque habiti erant in provinciis, sive religione aliqua aut consuetudine inductis animis, seu memoribus beneficiorum. Quin ipse L. Annæus Deum esse Augustum, non tanquam jussus, credidit aut professus est (1). Quasque

(1) Cf. *De clem.*, I, 10. 3 : « Deum esse, non tanquam jussi, credimus. »

V. G. Boissier, *op. cit.*, t. I, p. 174, 178. — Victor Duruy, *Hist. des*

præ se ferebat Augustus, animi dotes adeo moverunt admirationem, ut adipiscerentur cælestes honores et colerentur. Jam Lusitaniæ oppidulum quoddam Caio ipsi devotum est, neque quemquam fallit in provinciis templa imperatoribus fuisse erecta.

Igitur L. Annæus magnopere ad id studuisse mihi videtur, ut divi nomine Nero non gloriaretur tantum, sed etiam ad officiorum memoriam et muneris immensi revocaretur, immo consecratus princeps et ad divinos honores destinatus nihil nisi divina pro virili parte ageret. Sine superbia insolenti sic deos fieri licuit per Stoïcam philosophiam, quoniam Sapientem diis ipsis præstare Stoïci opinabantur. Nihil igitur ultra vires humanas vindicabat, et libens Neronem ita secum loquentem induxit: « Ego electus sum qui in terris deorum vice fungerer (1). » Hoc imperatoriæ dignitatis compendium, hoc principem animo vol-

Romains, Administration d'Auguste dans les provinces, p. 37 circa (Cf. p. 265, et p. 18, 20): « Avec de telles habitudes d'esprit, il fut aisé aux Romains de distinguer, dans les empereurs, le prince qui commit parfois tant de crimes ou de folies, et cette intelligence impériale, toujours la même sous des noms différents, grâce à laquelle cent millions d'hommes ne virent durant deux siècles, ni une émeute, ni les feux d'un camp ennemi. » (Excepto quod, Nerone interfecto, civile bellum exarsit.)

(1) *De clem*, 1, 1. 2. — I, 19. 9: « Quid autem ? Non proximum illis locum tenet is, qui se ex deorum natura gerit beneficus ac largus et in melius potens? »

vere decet, neque aliter dei speciem ostendisse Augustum Seneca censet, nisi clementia ac majestate.

II

Diligentius autem *de clementia* dialogum inspicienti apparet expressior quædam stoïcæ doctrinæ memoria.

Nempe utrum in Senecæ scriptis aliquid inter « Deum » et « Deos » interesset non semel est disputatum (1). Sæpe quidem utroque dicendi modo, sine discrimine, uti visus est; verum, etiamsi plerumque res ita se habet, alia tamen reperiuntur loca in quibus Seneca non nisi « Deum », alia in quibus non nisi « Deos » scribere voluit. Quoties enim populariter agit, « Deos » dicit Seneca. Quoties etiam divinam naturam Seneca vult significare, quatenus ab humana conditione distet, tunc parum curat utrum « Deum » an « Deos » scribat. « Hoc est », ut ait, « quo Deum antecedatis: ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. » « Sapientem dii non multo antecedunt. » Mittam equidem alia; sed hoc jam expressius afferam quod aliquando non respicit ad inferiores

(1) V. Lévy-Bruhl, *Quid de Deo Seneca senserit* (Paris, Hachette, 1884).

deos, Solem scilicet aut Lunam, sed ad Deum optimum et supremum. His enim in locis, quamvis, ut sæpius accidit, non semper sibi ipsi consentiat, reperire est apud Senecam modum dicendi mere stoïcum. Ad quem adscribendus videtur unus aut alter notissimus locus :

« Eumdem quem nos Jovem intelligunt, rectorem custodemque universi, animum ac spiritum mundi, operis hujus dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare ? Non errabis ; hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam dicere ? recte dices ; est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inoffensus exeat, et actus suos explicet. Vis illum naturam vocare ? non peccabis ; hic est ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum ? Non falleris. Ipse enim est hoc quod vides totum, partibus suis inditus, et se sustinens et sua (1). »

Et fere iisdem verbis in quarto *de beneficiis* libro :

« Hunc eumdem et fatum si dixeris, non mentieris. Nam cum fatum nihil aliud sit quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex quo ceteræ pendent. Quæcumque voles illi nomina proprie aptabis, vim aliquam affectumque

(1) *Quæst. nat.*, II, 45.

cælestium rerum continentia: tot appellationes ejus possunt esse quot munera..... Naturam voca, fatum, fortunam; omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate (1). »

Quodsi alia loca nobis placeat inquirere in quibus Seneca de suo potissimum scripsit, haud quidquam eveniet reperire contra stoïcam doctrinam, paululum fortasse extra doctrinam. Fatum quidem apud Stoïcos a ratione non fuit divisum: assensus est autem Seneca huic doctrinæ, libentius tamen videtur « rationem » scripsisse quam « fatum ». At in ambobus locis supra allatis, hic est Deus qualem Stoïci habuere, quem Seneca adeo feliciter expressit, ut nemo melius (2).

Hæc igitur cum locis conferamus in quibus Seneca de Deo atque de diis, sive expresse, sive tacite, in nostro dialogo eloquitur : quod quidem non erit longum.

« Servare proprium est excellentis fortunæ, quæ nunquam magis suspici debeat, quam cum illi contigit idem posse quod diis, quorum bene-

(1) *De benef.*, IV, 7 et 8.
(2) Cf. Lévy-Bruhl, *op. cit.*, p. 14, 15, 16.

ficio in lucem edimur, tam boni quam mali. Deorum itaque sibi animum adserens princeps... quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur (1). »

« Quoniam Deorum feci mentionem, optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus quales sibi deos velit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina, expedit usque ad ultimam infesta perniciem?... Quod si Dii placabiles et æqui delicta potentium non statim fulminibus persequuntur, quanto æquius est hominem hominibus præpositum miti animo exercere imperium?» (2)

« Est hoc summæ magnitudinis servitus non posse fieri minorem ; sed cum diis tibi communis ista necessitas est. Nam illos quoque cælum alligatos tenet, nec magis illis descendere datum est quam tibi tutum ; tu item fastigio tuo affixus es (3). »

Jamque unum locum addam :

« Nec alio animo rectorem suum intuetur (civitas) quam, si dii immortales talem potestatem visendi sui faciant, [intueamur venerantes colentesque.] Quid autem ? non proximum illis locum tenet is qui se ex deorum natura gerit, beneficus ac largus et in melius potens? Hoc affectare,

(1) *De clem.*, I, 5. 7.
(2) *Ibid.*, I, 7. 1 et 2.
(3) *De clem.*, I, 8. 3.

hoc æmulari decet. maximum ita haberi, ut optimus (1) simul habeare. » (2).

Ut igitur de hac re Seneca adeo perseveranter sententiam profert atque de diis vulgato dicendi genere utitur, sic licebit nobis sententiam ejus altius introspicere, quotiescumque, ex verbis ipsis, philosophicam dicendi rationem aut elicere facile, aut interpretari expediet. Immo quemadmodum ipse in *Quæstionibus naturalibus* semet interrogat: « Quid est Deus? » et ipse respondet Deum esse « mentem universi » (3) — an quisquam opinabitur Senecam, præsertim stoïca professum, quid de imperatorio munere atque officio sentiat in dialogo explicare, non autem recordari totius Stoïcæ doctrinæ summam, aut imperatorem cum Deo comparare, non autem curare Stoïcorum placita de Deo mundum gubernante? Numquid verisimile est hiare, ut ita dicam, Senecæ orationem, immo sententiam?

(1) Scilicet « Jupiter maximus optimus »; cf. J. J. commentarium in Professione fidei sabaudensis Vicarii: «Quand les anciens appelaient *optimus maximus* le Dieu suprême, ils disaient très vrai: mais en disant *maximus optimus*, ils auraient parlé plus exactement puisque sa bonté vient de sa puissance; il est bon parce qu'il est grand. » (*Émile*, lib. IV, p. 253, t. II, éd. Hachette, 1873.)

(2) *De clem.*, I, 19. 9.

(3) *Prol.*, 13. — Cf. G. Boissier, *Relig. rom.*, t. II, p. 65.

Atqui sic ratiocinabimur : romanum est magistratuum quemque rempublicam quasi induere, aut reipublicæ gerere personam ; nemini autem magis quam imperatori convenit hæc vox : « Respublica hic ego sum ! » Quemadmodum igitur per similitudinem aliquando reipublicæ animam ac mentem dicimus esse regem, sic judicare Seneca videtur, non autem, puto, dicendi figura quadam, sed imperatorii muneris ratione penitus indagata.

Mundi enim mens, quod Stoïcis placet, innumera materiæ prælia moderatur ac regit ; excutit informem unitatem atque explicat ; bellum in universo componit ; pacem quamdam conciliat ; molem illam immensam constituit in corpus, et quasi rerum in gremio abdita, divitem quidem, at in se discordem dispensat elementorum varietatem. Qua deficiente, solvi incipit magnum hic corpus, dividuntur membra compacta, et ligamina remittuntur aut dissiliunt, et redit mundus ad chaos. Adeo constat hanc animam esse simul mundi mentem ac providentiam ! (1)

(1) Cf. Boissier, *Relig. rom.*, t. I, p. 295, et J. Denis, *Théories et idées morales dans l'antiquité*, t. II, p. 224 : « Qu'est-ce, en effet, que cette intelligence unique, que cet esprit universel qui, selon Manilius et Virgile, circule dans l'univers et anime tous les mem-

Hoc munus, hanc personam mandat imperatori Seneca.

Quin simile aliquid et Romani concepere, quoniam romanæ pacis quasi indicem et figuram imperatorium reipublicæ regimen esse intellexerunt. Quapropter et Neroni Seneca, et Romanis, populorum ac gentium varietatem illam in dialogo ostentat, quibus ab Euphrate usque ad Britannos, ab Alpibus usque ad Africæ deserta loca, constat imperii corpus. Omnes enim illæ gentes quasi vitam ac spiritum ducunt a domo imperatoria. « Animus reipublicæ tu es », ut ait, « illa corpus tuum » (1). « Totum corpus animo deservit » (2). « Manus, pedes, oculi negotium illi gerunt, » et totius corporis interest animum præsse atque imperare. Sic hæc immensa multitudo unius spiritu regitur, unius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi unica atque præpotente principis providentia sustentaretur. Princeps enim, anima est ac mens reipublicæ omnium oculis

bres de ce grand corps ?... Que Dieu ne soit que l'âme et la raison du monde comme l'entendent les Stoïciens, ou qu'il soit supérieur comme le veulent les disciples de Platon, peu importe : l'unité de Dieu n'en est pas moins reconnue, et c'était une vérité qui avait tellement passé dans le domaine commun qu'on pouvait prouver, selon Quintilien, qu'il fallait une seule tête à l'empire par cela seul qu'il y a une providence universelle. »

(1) *De clem.*, I. 5. 1.

(2) *Ibid.*, I, 3. 5.

conspicua, signum simul unitatis et præsidium. Ille, ut ait Seneca, spiritus vitalis quem hæc tot millia trahunt, ad divinæ mentis instar sive solis, radios terris et animis immittentis, et humanam mentem informantis.

Nonne igitur apparet non ita secum discrepare Senecam, sive de Deo loquatur in *Quæstionibus naturalibus*, sive de principe in dialogo cui clementia inscribitur ?

Atqui menti illi reipublicæ romanæ, ut omnes usque ad mortem parere decet, ita proprii corporis valetudini consulere naturale munus est impositum : ad id quidem Augustus studuerat, præsertim quod priscos mores revocare cum decretis tum poetarum carminibus aggressus est. Quod autem ad L. Annæum attinet, non aliter ei ac nostris septimi decimi sæculi vivendi præceptoribus placuit, plurimum valere in civium moribus principis mores atque exemplum. Etenim quisque, primas tenentem respicere solitus, boni viri ponentem exemplar principem sequitur, atque inde respublica cietur ad virtutem. Immo alit corpus suum anima illa, « nullam non reipublicæ partem tanquam sui nutrit » (1), et panem et circenses impertitur. Adeo decet cives omnia trahere ab imperatore, cibum, pacem, vitam. Et ipsius Senecæ

(1) *De clem.*, I, 13. 4.

verba referam : « A capite bona valetudo in omnes [corporis partes exit ;] omnia vegeta sunt atque erecta, aut languore demissa, prout animus eorum vivit aut marcet (1). » Inde « tradetur principis mansuetudo, diffundeturque paulatim per omne imperii corpus, et cuncta in similitudinem ejus formabuntur. » Inde etiam pro uno capite excipiunt ferrum, ac multis mortibus unam animam redimunt « nonnunquam senis et invalidi. » Namque integrum stare animum, hoc corporis interest. Animi igitur jussu jacet corpus aut inquietum discurrit. Cumque ille imperavit, sive avarus dominus est, nonne « mare lucri causa scrutamur, » sive ambitiosus, nonne « jamdudum dexteram flammis objicimus » ? Sic gentium multitudo imperatoris voluntati obtemperat, ut animo et pacem et vitam et unitatem allaturo.

Simili igitur modo Seneca, unitatem illam a Stoïcis ex Deo atque mundo constitutam, censuit ex imperatore ac republica constituendam, et res romanas corpori cuidam similes esse censuit cujus princeps et caput, et mens, et animus. Neque deorum tantummodo numini animam illam, sed etiam rationi rerum dominæ æquiparare aggreditur : verbis quidem auctam sententiam, sed

(1) *De clem.*, II, 2. 1. — Cf. *ad Lucil.*, CXIV, 23 : « Rex noster est animus : hoc incolumi cetera manent in officio, parent, obtemperant : cum ille paulum vacillavit, simul dubitant, etc. »

quam Romæ non ita magnam opinor habuisse admirationem. Cæsarem igitur a republica distrahere et avellere, non est aliud atque corpori simul et animæ afferre exitium. Quid quod universa illa Ratio apud Stoïcos non solum vitaliter animat mundum, sed et divino consilio tuetur ac regit : princeps igitur plus quam animæ vices in romano corpore obtinebit, sed et superioris conscius muneris, vindicabit sibi divinæ providentiæ personam-

Quid autem ad clementiam ? Hoc, nisi fallor-quod, stoïcæ disciplinæ formula adhibita, mutabilem exuit naturam virtus illa, et fit rationis particeps. Atqui quoniam animo cuique suum corpus curæ est, et capitis interest indulgere membris, nedum sine justa causa invideat, deum illum interiorem imitari principi conducit. Quemadmodum igitur animus non sine voluptate quadam vivum sanguinem per venas in totum corpus sentit diffundi, immo vitam ejus longius protrahere cupiens, fovet, ut ita dicam, corpus suum sicuti necessarium ministrum, similiter Neroni hæc scribit L. Annæus : « Nemo regi tam vilis sit, ut illum perire non sen-

tiat (1) », quia respublica Cæsaris corpus, et, corpore dolente, oportet caput esse monitum (2).

Excelsum quidem munus et vere divinum Cæsaribus Seneca proponebat, id est haberi pro mundi anima illa cujus potestas erat penes eos : non tamen id quod nimiam nobis admirationem sui incutiat. Nempe (Christianorum enim sermone utar) Cæsares hortabatur ut ipsius Dei fierent vicarii. Atqui apud nos id ipsum, quod Senecæ in votis solummodo erat, effectum atque perfectum a se credidere reges nostri : immo et Stoïcis placuit hominem quemque ad id accingi debere ut, pro virili parte, Dei speciem referret, Senecæ autem romanarum rerum pæne arbitro, tantum officium Neroni ostentare non liceret? Ipse contra, sicuti regiæ apud nos Ludovicus quartus decimus, conscius est imperatoriæ magnitudinis : majestatem illam imperatorem decet sine ulla intermissione habere ante oculos. Noscat igitur Cæsar munus suum,

(1) *De clem.*, I, 16 1. (Cf. *Ep.* 88, 30 : « Clementiam, quæ alieno sanguini tanquam suo parcit et scit homini non esse homine prodige utendum.») — 1, 4. 3 : « Olim enim ita se induit rei publicæ Cæsar, ut seduci alterum non possit sine utriusque pernicie ; nam ut illi viribus opus est, ita et huic capite. »

(2) Cf. *de ira*, II, 31. 7 : « Nefas est nocere patriæ : ergo civi quoque, nam hic pars patriæ est. Sanctæ partes sunt, si universum venerabile est. Ergo et homini, nam hic in majore tibi urbe civis est. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? ut omnia inter se membra consentiunt, quia singula servari totius interest, ita homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sunt. Salva autem esse societas nisi custodia et amore partium non potest. »

neque illi magis quam diis tædio sit inservire conditioni. « Aberrare a fortuna tua non potes, » ait Seneca; « obsidet te, et quocumque descendis, magno apparatu sequitur (1). » Cæsaribus enim, sicut diis, descendere non datum est. Ut divinæ rationi, sic soli latere non contingit: « Prodire te putas? oriris (2). »

Non igitur a proposito digressus est L. Annæus, cum ita de republica atque de imperatorio munere sententiam explicuit. E contrario rem ipsam premit, et quia imperatorem judicavit esse romani corporis quasi animum, idcirco clementiam ei commendat: « Si tu animus reipublicæ tuæ es, illa corpus tuum, vides, ut puto, quam necessaria sit clementia (3). » Necessariam autem illam virtutem rationale aliquid et stabile fieri posse censuit; atque ita induxit absolutum et perfectum imperatorem sub persona Neronis secum loquentem: « Sic me custodio tanquam legibus, quas ex situ ac tenebris in lucem revocavi, rationem redditurus sim (4). » Ciceronianæ quidem sententiæ sententiam comparabilem, sed etiam Stoïcis referendam, quia illis Jupiter est lex (5). Stoïcorum

(1) *De clem.*, I, 8. 2.
(2) *Ibid.*, I, 8. 4.
(3) *De clem.*, I, 5. 1.
(4) *Ibid.*, I, 1. 4.
(5) Cf. Stob. *Ecl.* II, 6 (178), Meineke, t. II, p. 52: τόν τε νόμον σπουδαῖον εἶναι φασι, λόγον ὀρθὸν ὄντα προσταχτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων.
Atqui ὀρθὸς λόγος est Jovis aut Dei mens.

enim judicio, Sapiens induit Dei personam, aut potius ad Dei naturam transformatur, et Deum suum intus fovet. Quin etiam notissimi cujusdam apud nos scriptoris (1) verba usurpans, paucis Senecæ de imperatore sententiam interpretabor : Stoïci quidem sacrum illum spiritum quem apud se habitare opinabantur, quasi numen propitium esse ducebant, ac providentiam humano generi consulentem. Quid mirum igitur quod Senecæ placuerit idem atque unicum exemplar proponere Neroni, imperatoris scilicet atque Sapientis ?

(1) Montesquieu, *Esprit des lois*, lib. XXIV, cap. 10.

CAPUT V

DE IRA QUATENUS AD CLEMENTIAM PERTINET, SIVE DE TYRANNO AC REGE

Quod quidem exemplar diligentius animo contemplari placet.

Atqui non miror ego Senecam de clementia scripsisse, posteaquam de ira disseruerat tribus libris. Alia enim quæ jam in his tetigerat, fusius explicat in nostro dialogo : alia contra leviter perstrinxit antea jam tractata. Inde, quantum distet tyrannus a rege, secundum Senecam explanaturo nonnulla proderit de ira prius memorare.

I

Nempe etiam atque etiam Seneca, vel clementiam amplexus respicit iram.

Dialogi enim initio, Neronem induxit secum loquentem, eumdemque vitæ necisque gentibus arbitrum : « In hac tanta facultate rerum », sic

ait (1), « non ira me ad iniqua supplicia compulit, non juvenilis impetus, non temeritas hominum et contumacia..., non ipsa ostentandæ per terrores potentiæ dira sed frequens magnis imperiis gloria. » Iram enim quamprimum spectat, in iram dirigit animum, ad iram Neronem attentum fieri vult; cumque rursus ante principis oculos quam late quidem pateat Cæsaris potestas, quos fines contra sibi ipse imponere debeat, haud alium prius affectum cohibendum esse censet aut nuncupare dignatur: « Quid enim est memorabilius quam eum, cujus iræ nihil obstat... quem nemo interpellaturus est, immo, si vehementius excanduit, ne deprecaturus quidem, ipsum sibi manum injicere et potestate sua in melius placidiusque uti? » (2) Exhibere possum et nonnulla loca, qualia sunt « irasci non potes, nisi ut omnia tremant » (3), atque « morbis medemur, non irascimur » (4): aliaque hujus modi unde appareat nihil esse principi gloriosius quam non prosilire stimulis suis.

Volventi deinde dialogum illum qui *de ira* inscribitur, occurrit identidem clementiæ memoria. Altera enim alteri opponitur: « Quid ira labo-

(1) *De clem.*, I, 1. 3.
(2) *Ibid.*, I, 5. 4.
(3) *Ibid.*, I, 8. 5.
(4) *Ibid.*, I, 17. 1.

riosius? Quid clementia remissius? » (1) « Illud quoque occurrit quantum commendationis nobis allatura sit clementiæ fama... Quid est gloriosius quam iram amicitia mutare » (2)? Porro aureum tenemus locum, quoniam in secundo libro de crudelitatis origine apud tyrannos memorare instituit: « Qui vulgo sæviunt et sanguine humano gaudent, qui eos occidunt a quibus nec acceperunt injuriam nec accepisse existimant; hæc non est ira, feritas est. Quid ergo? Origo hujus mali ab ira est; quæ ubi frequenti exercitatione et satietate in oblivionem clementiæ venit, et omne fœdus humanum ejecit animo, novissime in crudelitatem transit (3). »

Hoc autem animadvertamus, consuetudine iracundiam attenuari (4); iræ obviam iri posse, minime autem crudelitati. Immo qui semel ac sæpius iræ indulsit, in tyrannide illi est vivendum: crudelitas autem majus malum et insanabile (5).

Inde inferas licet multum valere clementiam, quippe qua deficiente, nequidquam Nero medicum desideret!

(1) *De ira*, II, 13. 2.
(2) *Ibid.*, II, 34. 4. — Cf. *de Clem.*, I, 20, 21.
(3) *De ira*, II, 5. 3.
(4) *Ibid.*, II, 4. 2; II, 18.
(5) *Ibid.*, II, 5. 5.

II

Quamobrem tanta ope de clementia sudavit Seneca, præceptor idem ac minister, de ira autem nondum prætor fortasse, interempto quidem C. Cæsare neque enim aliud quidquam ac rempublicam spectavisse videtur, cum de ira scriberet. Strictiore tamen doctrina summis laudibus clementiam extollit quam iram insectatur, sive misericordiam ac lacrimas sapienti viro invideat (1), sive de unius imperio aperiat sententiam (2), sive de tyrannis.

Crudelitas enim, quæ quidem primum atque in se nihil aliud est quam atrocitas animi in exigendis

(1) Cf. *de clem.*, II, 5, 6, 7; *de ira*, I, 16. 3 misericordiæ ; II, 10. 2 universis ignoscendum : generi humano venia tribuenda est ; cf. II, 34. 2 venia; III, 27. 2: quam iniquus est, apud quem hominem esse, ad impetrandam veniam nocet; II, 29. 1: ignoscat; III, 24. 2; III, 29. 1: « misericordia dignus est. »

Attamen idem ille *de ira*, II, 15. 3 : « Quid? non mitioribus animis vitia leniora conjuncta sunt, ut misericordia .. ; sed non ideo vitia non sunt. »

(2) Magnifice de patria quidem scripsit (*De ira*, II, 31. 7), nusquam autem de principe mundi animæ assimilato, de principi reipublicæ anima, in quem se respublica convertit. Caio enim nuper interempto et novis rebus etiam imminentibus, hoc tantum de sublata libertate scripsit : « Deinde idem de republica libertatem sublatam quereris, quam domi sustulisti. » (*De ira*, III, 35. 1); cf. I, 19. 2: « Inimica libertati nomina exstirpat » ; et II, 14 in fine.

pœnis, clementiæ opponitur (1) : crudelitas autem in tyranno feritas vocatur. Atqui diligentius volventi *de clementia* libros occurrit tyrannus non imagine tantum quasi rhetorice descriptus, sed etiam philosophica, ut ita dicam, et ipsius Platonis sententiæ vicina finitione designatus. Qua omissa, non plane intelligas quale Neroni Seneca principis æqui ac mitis proposuerit exemplar.

Primo enim adspectu, utrum potius scribat tyrannumve an regem, parum Seneca curare videtur. Nempe interdum et in reges invehitur, aut saltem eos carpit. Clementiam quidem, in quamcumque domum pervenerit, suspicit atque admiratur: « Sed in regia, quo rarior sit, eo mirabiliorem » (2) esse profitetur. Quin de ira scribentem animadvertas et reges (3), et magistratus vellere cursim, et nobiles (4). Sed ut *de clementia* solummodo nunc memoremus, utroque temere verbo regeque ac principe plerumque usus est, immo im-

(1) Cf. *de clem.*, II, 4. 1.
(2) *De clem.*, I, 5. 4.
(3) *De ira*, III, 15, 16, 17 ; II, 23. 3 ; III, 14.
(4) *De ira*, II, 21. 7.

peratore (1). Interdum etiam regem ita scripsisse videtur ut principem circuitu quodam dicat, Neronemque admoneat (2). Attamen undecimo et duodecimo prioris libri capite occurrit exactius aliquid de magno quodam inter regem tyrannumque discrimine.

Nempe jam vitæ brevitate, quantum tyrannus a rege distet, possis dignoscere. Clementia enim tutiores præstat, regibusque licuit consenescere, liberisque ac nepotibus tradere regna : tyrannorum autem, quam exsecrabilis, tam brevis potestas esse solet. Immo speciem ipsam fortunæ ambobus parem retrospice : in pœnis autem exigendis et vitæ necisque jure exercendo apparet quid intersit inter regem et tyrannum. Occidunt et ipsi reges, sed quoties id fieri publica utilitas persuadet : nec enim nomine tyrannus a rege distat, sed factis (3). Utrumque quidem videre est armis

(1) Cf. *de clem.*, I, 4; I, 5.

(2) *De clem.*, I, 8. 6 et 7 : « Regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. — Regibus certior ex mansuetudine securitas. » — I, 19. 5 : « Errat enim, etc... »

Nusquam autem scripsit *regnare* imperatorem, sed *esse principem* et *imperare*. (I, 9, 10)

(3) Ideo insignem hunc locum animadvertere est *de clem.*, I, 12. 1 : « Et L. Syllam tyrannum appellari quid prohibet... descenderit licet e dictatura sua et se togæ reddiderit. Quis tamen unquam tyrannus tam avide humanum sanguinem bibit... » — Cf. *ibid.*, II, 2. 2. — Cf. etiam *de ira* II, 2. 3; II, 34, 3 ; III, 18. 1. — (Adde Volesum, *de ira*, II, 5. 5)

quasi vallatum : hic autem arma habet « quibus in munimentum pacis utitur », ille « ut magno timore magna odia compescat ». Porro unde timor, nisi quod ad occidendi licentiam non accessit clementia apud tyrannos? Denique, ut breviter ipsa L. Annæi verba usurpem, tyranni in voluptatem (1) sæviunt, reges non nisi ex causa ac necessitate.

III

Atqui nemo obliviscitur eximia etiam de tyranno ac rege conscripsisse Platonem; minime autem fallere Senecam notissima illa potuerunt. Qui contra, non solum in libris *de clementia* prodere videtur aliquam πολιτείας memoriam, sed etiam in dialogo illo *de ira* Platonem Aristotelemque (2) et Theophrastum aut imitari aut contra carpere aggreditur.

Verumenimvero de suo, aut potius ex memoria rerum protulit ingenia illa tyrannorum « immania et invisa (3) », et vividissime descripsit imaginem. Nempe crudelitatem, ut clementiæ oppo-

(1) Gertz (*De clem.*, I, 11. 4; I, 12. 3).
(2) *De ira*, I, 17.
(3) *De clem.*, II, 2. 3.

suit, ita feritatem haud immerito vocavit apud tyrannos, quippe qui, non in exigendis tantum pœnis, sed piratarum more (1) sævitiam pro voluptate habeant. Inspiciamus igitur, L. Annæo duce, morbum illum quo non Patribus tantummodo equitibusque et fortuna aut dotibus aliis insigni cuique Romæ damnum allatum fuisse, sed et Tiberium senescentem, C. Cæsarem et Neronem adeo laboravisse tenemus.

Nempe dirus ille morbus insania est, nec jam ira, modo respicias C. Cæsaris gesta dictaque. Delirium quoque dicas, quale animadvertere est apud eos qui altissimæ fortunæ spe nimia ac diuturna, fructuve divitiarum immodico quasi profligati periere (2). Turbatam enim illam C. Cæsaris mentem compertum est ipsius imperii mole corruisse obrutam, auxiliantibus deliciis : quippe qui deorum affectaverit honores sibique vindicaverit dentibus

(1) *De clem.*, II, 4. 1.

(2) Suet., *Calig.*, 29 : « Memento omnia mihi et in omnes licere. » Cf. Tac *Hist.*, II, 38 : « Vetus ac jampridem insita mortalibus potentiæ cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque. »

infrendens. Quotidianam igitur ejus dementiam jure vocat Seneca cladem caianam (1).

Atqui multa L. Annæus tyrannorum nomina in ambobus *de ira* atque *de clementia* dialogis exhibuit : nullum autem adeo concitato animo et quasi adhuc pavido memoravit, præter C. Cæsarem, a quo prope fuerat interfectus : Cambysen, ut exemplo utar, notavit jaculo cor filii Præxaspis figentem (2), et Harpago nescio quem regem liberos epulandos apponentem (3), aut Darium occisos in conspectu parentis tres liberos abji-

(1) *De tranq. animi*, XIV. 10, et 4 : « Phalaris ille. »

Cf. *de ira*, II, 5. 1 : « Illud etiamnunc quærendum est, hi qui vulgo sæviunt et sanguine humano gaudent, an irascantur, cum eos occidunt a quibus nec acceperunt injuriam nec accepisse se existimant : qualis fuit Apollodorus aut Phalaris... Non fuit hæc ira, sed majus malum et insanabile. »

Cf. etiam *ad Polyb.*, 17. 3

De ira, III, 21. 5 : « Hic furor, quid enim aliud voces ? Romanos quoque contigit. C. enim Cæsar villam etc. » — *Ibid.*, I, 20. 8 : « Homericum illum exclamans versum, ἦ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐμὲ σέ. Quanta dementia fuit ! » — *Ibid.*, II, 33. 6 : « Benignus interim et comis adolescens. » — *Ibid.*, III, 18. 3, et 19. 1 : « Quam superba fuerit crudelitas... Torserat per omnia quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, tabularibus, equuleo, igne, vultu suo. »

Adde *de const. Sap.*, 18. 4 : « At idem Caius omnia contumelias putans,... ferendarum impatien[s]. — C. Cæsar inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur omnis aliqua nota feriendi, ipse materia risus benignissima. Tanta illi palloris insaniam testantis fœditas erat, tanta oculorum sub fronte anili latentium torvitas, tanta capitis destituti et emendicatis capillis aspersi deformitas ; adjice obsessam setis cervicem, et exilitatem crurum, et enormitatem pedum.

(2) *De ira*, III, 14.

(3) *Ibid.*, III, 15.

cientem (1), aut ex quinque filiis unum Pythio, in partes duas distractum ab utroque viæ latere, permittentem Xerxem; jam et ex Aristotelis sinu regem Alexandrum Clito mortem, leonem Lysimacho (2), jamque Lysimachum Telesphoro caveam et famem et exquisitum cruciatus modum indicentem (3). Quin et legenti occurrit aliud atque aliud feritatis documentum (4): sed illud luget Seneca jam ab ævo Syllanæ crudelitatis non mansisse sævitiam inter peregrina exempla, transiisse contra in romanos mores, cum aliis adventiciis vitiis et suppliciorum irarumque barbaria. Etenim C. Cæsarem imprimis, Tiberium autem nutu tantum significationeque appellat et profert in medium.

Primum igitur quid in nostro dialogo scripserit de C. Cæsare memorabimus et colligemus in unum: dein cum hac imagine alterum tyranni quasi exemplar conferemus.

Nempe cum in primo prioris libri capite animadvertit ostendendæ per terrores potentiæ di-

(1) *Ibid.* III, 16. 3.
(2) *Ibid.* III, 17. 3.
(3) *Ibid.*, III, 17. 3-4. — Cf. *de clem.*, I, 23. 1.
(4) *Ibid.*, III, 20, 21.

ram, sed frequentem magnis imperiis gloriam, C. Cæsar est quem maxime petit. Ecquis est alius ac idem ille « cujus graviori sententiæ ipsi, qui pereunt, assentiuntur ? » (1) Minime enim obliviscendum est Canum Julium (2), cum Caio diu altercatum. Postquam enim abeunti C. Cæsar dixerat : « Ne forte ineptâ spe tibi blandiaris, duci te jussi : — Gratias, inquit, ago, optime princeps ». Etenim mortem forsitan libenter acceperit tanquam libertatem. Quod autem aliud regnum atque ejusdem adeo « crudele, turbidum, tenebrisque obscurum » (3) fuisse dicas ? Immo vox illa detestabilis, Syllanæ crudelitatis documentum, « oderint, dum metuant » (4) quam quidem sæpius C. Cæsarem usurpasse constat, nonne illum ipsum, inter multos, dedit præcipitem ? Etenim novit ille tandem « quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creverint », et acerrimam virtutem esse quam ultima necessitas extundat (5), immo necesse esse acerbum et sanguinarium principem « stipatores sui graventur ». Porro si hunc memineris olim jussisse ne mori se

(1) *De clem.*, I, 5. 4.

(2) *De tranq. an.*, XIV. — Fortasse et *de ira*, II, 33. 2 « hilari vultu », « gratias agendo. »

(3) *De clem.* I, 7. 3.

(4) *De clem.*, I, 12. 4 ; II, 2. 2.

(5) *De clem.*, I, 12, passim.

ipsas victimas falleret, ad hunc igitur eumdem imprimis respexit Seneca, nec ad Syllam tantum aut Alexandrum ita professus: « Hoc est quare vel maxime abominanda sit sævitia, quod excedit fines primum solitos, deinde humanos, nova supplicia conquirit, ingenium advocat ut instrumenta excogitet, per quæ varietur atque extendatur dolor, delectatur malis hominum. » (1) Denique nonne legenti hæc atque alia hujusce modi « aliquando sua præsidia in ipsos consurrexerunt », occurrit extemplo memoriæ Chærea ? (2)

Alexandrum igitur aut Syllam non semel memoravit L. Annæus, ut illustraret sermonem suum et ornate scriberet (3): C. Cæsarem tamen habet ante oculos etiam sub principatu Neronis.

Porro ut intelligamus non temere finxisse Sene-

(1) *De clem.*, I, 25. 2. — Cf. Suet., *Calig.*, 30 : « Non temere in quemquam nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est: perpetuo notoque jam præcepto « Ita feri, ut se mori sentiat. »

(2) *De clem.*, I, 26. 1.

Forsitan et ad Caii ac Cesoniæ amores spectaverit Seneca in illo *de ira* loco (II, 36. 5): « amicissimis hostes, vitandique carissimis ». — Cf. etiam *de clem.*, I, 26. 2: « non spectacula (securi ineunt), ex quibus materia criminis ac periculi quæritur » cum Suet, *Calig.*, 30.

(3) « Quid enim interest, oro te, Alexander,... » (*De clem.*, I, 25. 1) — Cf. *de ira*, II, 5. 4 : in Hannibalem simili modo invehitur.

cam tyranni imaginem, sed descripsisse, memoremus, quod superest, alia loca nonnulla quæ ad Tiberium pertinere videntur. Nempe ut « Ti. Cæsaris prima tempora » tetigit (1), sic Neronem laudat quod non priorum principum exemplis corruptus (2) quantum in cives suos liceret, experiendo tentaverit, civitatem contra præstiterit incruentam. Forsitan et ad Tiberium respiciat cum monet Neronem parentes liberosque eorum, qui interfecti sunt, et propinquos et amicos in locum singulorum succedere (3). Tiberiusne etiam Sejano interempto, an Caius, aut universum quoddam tyranni exemplar spectatur in hisce locis : « Nec illas ipsas manus, quibus se commisit, securus adspicit; contrariis in contraria agitur; nam cum invisus sit, quia timetur, timeri vult, quia invisus est (4) » ... « omnibus reis noxior ac sollicitior, ut qui homines deosque testes facinorum ac vindices timeat, eo perductus ut non liceat illi mutare mores... : scelera enim sceleribus tuenda sunt (5). »

Inde accingitur Seneca ad aliquam tyranni imaginem quasi platonicis verbis descriptam,

(1) *De clem.*, I, 1. 6.
(2) *Ibid.*, I, 11. 2 et 3.
(3) *De clem.*, I, 8. 7.
(4) *De clem*, I, 12. 3-4.
(5) *De clem.*, I, 13. 2.

quam quidem afferre libet : « O miserabilem illum, sibi certe ! nam ceteris misereri ejus nefas est, qui cædibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta reddidit tam externa quam domestica, cum arma metuat, ad arma confugiens, non amicorum fidei credens, non pietati liberorum ; qui, ubi circumspexit, quæque fecit, quæque facturus est, et conscientiam suam plenam sceleribus ac tormentis adaperuit, sæpe mortem timet, sæpius optat, invisior sibi quam servientibus (1). »

Quid denique et alia memorem quasi speculum futuro deinceps Neroni jam ostentata ? Quid referam « monstrum » illud et « silvestre animal » a singulorum cædibus in exitia gentium serpens,

(1) *De clem.*, I, 13. 3.

Plato quidem, postquam tyrannum medicumque inter se contulit (*οἱ μὲν γὰρ τὸ χείριστον ἀφαιροῦντες λείπουσι τὸ βέλτιστον, ὁ δὲ τοὐναντίον.* — Πολιτ., VIII, 567), simili modo confert *τυραννουμένην πόλιν πρὸς βασιλευομένην*, et *δοῦλον* vocat tyrannum, ejusque animo penitus introspecto hæc addit : « *καὶ ϕόβου γέμων διὰ παντὸς τοῦ βιοῦ σφαδασμῶν τε καὶ ὀδυνῶν πλήρης.* » (*Ibid.*, 576.) — Cf. 580 : « *Φθονέρῳ, ἀπίστῳ, ἀδίκῳ, ἀφίλῳ, ἀνοσίῳ, καὶ... ἐξ ἁπάντων τούτων μάλιστα μὲν αὐτῷ δυστυχεῖ εἶναι, ἔπειτα δὲ καὶ τοὺς πλήσιον αὐτῷ τοιούτους ἀπεργάζεσθαι.* »

Et Tacitus Platonis dialogum quoque qui *Gorgias* inscribitur memoravit de longa illa Tiberii epistola : « Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse adspicere laniatus et ictus ; quando, ut corpora vulneribus, ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. (*Ann.*, VI, 6.)

et ignem denique totius urbis, totius Romæ tectis, injectum? (1)

Quid plura? Multos enim occidere et indiscretos incendii ac ruinæ potentia est, ut ait L. Annæus: neque Cæsaribus illis, quorum iræ prope nihil obstabat, contigit in semetipsos manum injicere. Quin et præstrinxit eorum oculos ipsa potestatis magnitudo, neque Seneca censuit tantam imperii molem esse elevandam (2). Ceterum prætorianorum satis intererat claudiano donativo frui et arma cedere togæ. Quin et nobilibus novarum rerum appetentibus, sed inter se discordia laborantibus vel C. Cæsare interempto, semper licuit a quovis principe sic objici: « Cedo, si spes tuas solus impedio, Paulusne te, et Fabius Maximus, et Cossi et Servilii ferent? » (3) Atque inde tantum licuit Cæsaribus; inde timor

(1) Cf. *de clem.*, I, 26. 4.

(2) Cf. *de benef.*, VII, 4. 2: « Jure civili, omnia regis sunt... ad reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas » — et, cap. 6. 3: « Cæsar omnia habet, fiscus ejus privata tantum ac sua; et universa in imperio ejus sunt, in patrimonio propria. »

Cf. *de clem.*, I, 5. 4: « Cujus iræ nihil obstat »; *ibid.*, 7: « IIII contigit idem posse quod diis »; passimque: « Qui omnia potest », « irasci non potes, nisi ut omnia tremant », « dandi auferendique vitam potens. »

Cf. etiam *Consol. ad Polyb.*, VII, 2: « Cæsari quoque ipsi, cui omnia licent »; XII, 3: « Illo rebus humanis præside »... « conspectu numinis ». — *Ad Marc.*, XV: « Qui Dis geniti deosque geniturі dicantur. »

(3) *De clem.*, I, 9. 10.

ac tyrannis. Timebant Cæsares et rursus timebantur. Satellitibus Claudius vallabitur et armis, et milites, non servi, cenam ministrabunt, et cenantem armati lancea tuebuntur, et in curia scrutabuntur Patres conscriptos et intrantium vestem excutient. Porro Ti. Cæsari delatores (1), C. Cæsari Germanæ cohortes præsidio erunt. Regnabitur inter trementes et ad repentinum sonitum expavescentes. Neroni denique gratiæ agentur quod nondum, sicuti Claudius, quinque et quadraginta Patres, trecentos equites mori jusserit.

IV

Cum igitur instituit Seneca quantum in tot clades valuisset ira principum explicare, quantique interesset jam a pueritia principem ad meliora educari, immoratus est in hoc rerum spectaculo, et uberior materia sermonem præstitit vividissimum.

Nempe, ut in nostro dialogo terribiles ostentat facies publici metus (2), omnia mæsta, trepida, confusa ; voluptates ipsas timeri, nec convivia iniri

(1) Tac. *Ann.*, VI, 7 : « In foro, in convivio, quaqua de re locuti, incusabantur. »

(2) *De clem.*, I, 20 [illegible].

secure, nec spectacula (1); sic in illo qui *de ira* inscribitur, acris occurit imago romanæ miseriæ (2). Omnia sceleribus ac vitiis plena tunc esse monemur, ingentique quodam nequitiæ certamine certari, et expulso melioris æquiorisque respectu, quocumque visum fuerit, libidinem se impingere; nec furtiva jam scelera esse, præter oculos ire, adeoque in publicum missam esse nequitiam et evaluisse in omnium pectoribus, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Quidni totum exhibeam hunc locum ? « Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique, velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.

. . . . . Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti;
Lurida terribiles miscent aconita novercæ,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

« Et quota pars ista scelerum est ?... Adde nunc publica perjuria gentium, et rupta fœdera, et in

(1) Cf. *de clem.*, I, 8. 5. « Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius quam nocent: non sine causa. Non enim quantum fecerit, sed quantum facturus sit, cogitatur in eo, qui omnia potest. » — *Ibid.*, 1, 12. 4: «Temperatus enim timor cohibet animos: assiduus vero et acer et extrema admovens, in audacius jacentes excitat. »

(2) *De ira*, II, 8 et 9. — Cf. *de benef.* V, 15.

prædam validioris, quidquid non resistebat, abductum; circumscriptiones, furta, fraudes, infitiationes, quibus trina non sufficiunt fora. »

Sic enim L. Annæus, C. Cæsare interempto, deformem civitatis imaginem adumbravit ut sua ætate Romam sine dubio fama nominis sui impleverit.

Neque rursus quam superbæ fuerit crudelitatis C. Cæsar, non ad rem propositam pertinet scire: hoc ipsum, ut ait Seneca, pars fuerit iræ super solita sævientis. Quin et talia cum oculis subjiceret, cumque, interfecto Claudio, pietatem integritatemque cum fide ac modestia resurgere, et vitia diuturno abusa regno tandem felici ac puro sæculo dare locum confideret (1), noverat unde tantum liceret depellere morbum et vitia exuere. Stoïcorum enim sectam amplexus, remedium porrigebat, neque pauca de se ipso, si quis vere existimet (2), pollicebatur.

(1) Cf. *De clem*, II, 1. 4. — *De ira.*, II, 10. 8: « Navigium multam, undique laxatis compagibus, aquam trahit. »

(2) Unum locum aut alterum e multis eligere libet: « Dum inter homines sumus, colamus humanitatem: non timori cuiquam, non periculo simus. » (*De ira*, III, in fine) — *Ibid.*, I, 20. 4: « sic nec amari quidem vellem. » — Cf. III, 36, 37.

Multum etiam de se speravisse videtur, quamvis objici liceat *de ira*, I, in fine; III, 7, 31 et 41.

Quid igitur requirit Seneca ea ætate, cum a principe, tum a ministris ? Nempe sine ira ac sine odio (1) se præstare quibus a diis potestas vitæ necisque fuisset commissa : omnes enim homines æque clementia indigere, neminemque inveniri qui se possit absolvere, modo si judex de sua causa sententiam ferat et respiciat conscientiam (2).

Mitto quidem quæ forsitan de se ipso pollicitus fuerit : quæ regem deceant, immo quæ rationem, breviter explicemus, quod superest ; deinde ad boni principis exemplar describendum transibimus.

Atqui pacem animo sibi parare, quam dabit imprimis præceptorum salutarium assidua meditatio (3) — necnon et cogitatio mortalitatis, — hoc principibus optat. Teneat ille quodam amplexu

(1) *De ira*, I, 14. 1 ; I, 15. 1.

(2) Cf. *de ira*, I. 14. 3. — *De clem.*, I, 1. 9 : « Clementiam paratam humanis erroribus. » — *Ibid.*, I, 2, 1 : « Clementiam, quamvis pœna digni invocent, etiam innocentes colunt. » — *Ibid.*, I, 6, 1-3 : « Quanta solitudo ac vastitas futura sit, si nihil relinquetur, nisi quod judex severus absolverit... Quotus quisque accusator vacat culpa ?... Peccavimus omnes. »

Cf. rursus *de ira*, II, 9, 10. — *Ibid.*, III, 26, 4 : « Omnes mali sumus, etc. »

(3) *De ira*, III, 41. 2.

summum bonum (1) : facilis quidem ad beatam vitam via, nec ut quibusdam visum est, arduum in virtutes et asperum est iter : plano adeuntur. Porro, ut ait, nihil est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat et in familiaritatem perducat assidua meditatio ; nullique sunt tam feri et sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur. Quodcumque sibi imperavit animus obtinuit (2). Aliquid igitur solidi subsit animi disciplinæ, neve princeps imitetur eos quos vecors animus supra cogitationes extollit humanas aut supra doctrinam : placidum quietumque ratio efficiet.

Ratio enim non magis dignitatis suæ esse putat irasci, quam mærere. Immo qui ratione utitur, is novit quantum absit a severitate crudelitas (3), a constantia rigor (4), neque unquam concupiscit timeri, quamvis aliquando proficiat simulata tantum iracundia (5). Ratio quidem, si ita opus est, silens quietaque, totas domos funditus tollit, et familias reipublicæ pestilentes cum conjugibus ac

(1) Cf. *de ira*, III, 25 ; II, 13.

(2) *De ira*, II, 12. 3 et 4.

(3) *De ira*, I, 20. 2. — II, 17, 2 : « Nec latronem oportet esse nec prædam, nec misericordem nec crudelem. Illius nimis mollis animus, hujus nimis durus est : temperatus sit sapiens. »

(4) *De ira*, I, 18, 3.

(5) *De ira*, II, 14, 1 ; *ibid.*, II, 11 in fine ; I, 19. 8 : « Male irato ferrum committitur. »

liberis perdit (Senecæ verba affero), tecta ipsa diruit et solo exæquat, et inimica libertati nomina exstirpat : hæc non frendens, non caput quassans (1), quia vir sapiens et temperatus animo, ad res fortius agendas non iram, sed vim adhibet (2). Etenim, ut dixit supra, num videtur lex irasci? Immo quis, cui medetur, irascitur? Atqui curandæ civitati a diis princeps est adhibitus, et omne pœnæ genus remedii loco admovet (3), quotiesque malos aut tollere aut emendare decrevit, futura, sicuti Plato monet, est intuitus (4).

Quid dixi, medicum? Immo patrem vocat Seneca bonum principem, id est patriæ parentem. Quod enim parenti, ut ait, etiam principi faciendum est (5), propterea quod patria potestas est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens : gloriosusque miles omnem laborem libens patitur, ut parentis custos (6). Hunc principem omnes, non tam supra se esse, quam pro se

(1) Cf. *De clem.*, I, 20. 2 : « Nunc illum hortamur, etc... » cum *de ira*, II, 22, 23, 24, 28, 29 ; III, 5 sq., 12. 1 ; I, 18, 1 et 2.

(2) *De ira*, II, 17. 2. — *Ibid.*, II, 15.

(3) Cf. *de ira* I, 16. 3: « Olim, miser, mori quæris ! » — I, 5 et 6, et II, 10.

De clem., I, 17. 1 et 2 : « Morbis medemur, non irascimur... Idem in his, quorum animus affectus est, facere debebit, cui tradita salus omnium est. »

(4) *De ira*, I, 19. 7.— *Ibid.*, II, 31. 8.

(5) *De clem.*, I, 14 et 15 ; 16.

(6) *De clem.*, I, 13. 1.

sciunt (1), huic bene parentis nomen convenire fatebuntur qui nulla crudelitate exsequitur vel contumelias, qui vivit optantibus cunctis, sub quo « justitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas florent. »

Atqui, si breviter concludere liceat, sic orantem fingam L. Annæum : « C. Cæsarem, Nero, tu jam concupiscis imitari : quin potius amabilem te, dum vivis, omnibus; desiderabilem, cum excesseris, reddis? Pisistratem ego afferam et Antigonum Philippumque quem imiteris, si philosophos dedigneris (2) : et Cæsarem afferam, neque enim quisquam liberalius victoria usus est; divum autem Augustum in primis, quot digna memoria fecerit dixeritque, memorabo (3). Nequidquam tu ex meo sinu oriris? Nequidquam te institui? Nequidquam Romani de te, immo de me speravere? (4).

« Age, infelix, ecquando amabis ? »

(1) *De clem.*, I, 3. 3. — I, 10. 3. — I, 19. 7-9.

(2) *De ira*, III, 11, 22-23; III, 38 (de Diogene). — II, 32; III, 38 (de Catone). — III, 11. (de Socrate).

(3) *De ira*, III, 23. 4 et 40. 2. — *De clem.*, I, 1. 6. — Etc.

(4) Cf. *de ira*, II. 18, sq.

CAPUT VI

DE DIALOGO, QUOD AD DOCTRINAM IPSAM ATTINET, JUDICIUM

Eximie de dialogo nostro pronuntiatum opinor officiorum, quæ ad reges pertinent, esse recognitionem (1).

Atqui si illa ætate fama fuit, quod verisimile est, rerum potiri Stoïcorum sectam — Senecam loquor, — operæ pretium erat L. Annæum de imperatoria clementia humanissime præfari. An forte scholasticis placitis nimis faverit aut romanam vel in stoïca clementia retinuerit nescio quam duritiem non animadverto; neque etiam requiro an profuerit cuiquam Neronem pabulo isto potius quam lacte et mitiori esca esse nutritum. Hoc unum studeo ut conferendo Senecam cum M. Aurelio, altero illo Stoïco qui centum annis post rerum potitus est, monstrem quid in illo desideretur. Sed prius-

(1) C. Martha, *les Moralistes sous l'empire romain*, p. 18 (Hachette, 1872, 3ª ed.).

quam comparationem illam aggrediar, liceat mihi pauca de *politica* Stoïcorum commemorare.

Constat neque latet quemquam, Alexandro vix mortuo, qui gentes victas non pro præda, sed pro hominibus administrationi suæ commissis habuerat effeceratque ut cum Græcis Asia in unum coalesceret, opiniones de reipublicæ forma omnino esse immutatas parvulamque civitatem græcam in universam deorum hominumque civitatem excrevisse, philosophorum saltem in placitis. Eadem autem causa ex qua orta erat hæc doctrina, eam propagavit. Videsne ut Polybius, intelligens populum romanum verum et insperatum Macedonici regis esse hæredem, victricis quemque progressum gentis admiratione summa et amore quodam sequatur, nec non præsagire gaudeat amplius Alexandri imperio et firmius parari imperium, Fortunæ, id est Providentiæ, maximum et pulcherrimum opus. Etsi autem nullo in loco universam Stoïcorum civitatem memorat, perspicuum est illam imaginem menti ejus subesse et dominari. Eisdem vestigiis credere est institisse Posidonium et Strabonem qui Megalopolitani historiam usque ad sua tempora continuaverant. Quod non credendum est modo, sed certum habendum de Diodoro et Dionysio, quorum alter civitatem Jovis adeo extollit in *bibliothecæ* exordio, alter verbis in Stoa usitatissimis hanc laudem Urbi tribuit κοινὴν esse et

φιλανθρωποτάτην. Omnes enim in hoc conveniebant quod rebus humanis commodum ac salutare esset imperium in manus Romanorum cecidisse. Quod vero majus est et significantius, eadem victores atque victi re sentiebant et prædicabant.

Non modo M. Tullius scribit in libris de officiis (1): « Quamdiu imperium populi romani beneficiis tenebatur, non injuriis, bella aut pro sociis aut de imperio gerebantur; exitus erant bellorum aut mites aut necessarii; regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus; nostri autem magistratus ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias et socios æquitate et fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terræ verius quam imperium poterat nominari. » Sed etiam in primo de *Legibus* celebrat unam legem sempiternam, unum jus, unam civitatem in qua universæ rationales naturæ, auspice et præside Deo, æquitate et communione juris reguntur: unde existit nova et inaudita virtus, caritas generis humani (2). Quæ de rebus

(1) II, 8.

(2) Cic. *de finibus*, V, 23: « In omni autem honesto de quo loquimur, nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, et quasi quædam societas et communicatio utilitatum et ipsa caritas generis humani... Nam cum sic hominis natura generata sit ut habeat quiddam innatum quasi civile, etc. »

tantis Livius, Pollio, Fabianus (1) senserint ignoramus ; quid autem docuerit Epictetus (2), supersedeo sedere. Quod ad Senecam attinet, multis locis ubi Stoïcorum de universa civitate doctrinam respicit magis quam explicat, prætermissis, hoc unum animadverto nullam ejus mentionem in libris de clementia esse factam (3).

Inde præcipuum inter illum et Antoninum discrimen ex quo fere omnes ceteræ de doctrina discrepantiæ oriuntur.

Nempe dum Seneca in potestate immani principis immoratur eamque etiam auget verbis et amplificat, et pro concesso habet non modo re, sed etiam jure illi omnia licere, usque recurrit in M. Aurelii soliloquiis divinæ civitatis imago,

(1) Cf. Sen. *Ep.* 100 ; *Controv.* II, 9 : Papirii Fabiani « Ecce instructi exercitus... Quæ causa hominem adversus hominem in facinus coegit? nam neque feris inter se bella sunt, nec, si forent, eadem hominem deceant, placidum proximumque divino genus. Quæ tanta vos fert ira, cum una stirps, ejusdemque sanguinis sitis : vel quæ furiæ in mutuum sanguinem egere? » — « Cognatorum » (*ibid*).

(2) Vide effigiem Cynici in *Dissertationibus*, III, 22.

(3) Huncce autem locum e dialogo *de ira* excerptum iterum atque iterum memorare expedit : « Nefas est nocere patriæ : ergo civi quoque, nam hic pars patriæ est. Sanctæ partes sunt, si universum venerabile est. Ergo et homini, nam hic in majore tibi urbe civis est... Homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sunt. » (II, 31. 7.).— Cf. *de benef.*, IV, 18. 4 : « Unitatem generis humani. » *De clem.*, I, 3. 2 : « Inter nos, qui hominem sociale animal, communi bono genitum, videri volumus ». — II, 6. 3 : « In commune auxilium natus ac bonum publicum ».

omnemque ponens auctoritatem suam et majestatem imperator in officiis civis explendis, cum amore summo et devotissima pietate : « Dixit aliquis, inquit, o carissima urbs Cecropis, cur tu non dicas : o carissima urbs magni Jovis ? »

Et ipse instituit Deo morem gerendum et legi quæ mundo inest ac præest : quippe qui sibi interdixerit ne quidquam aliter ac Justitia ipsa perficeret (1). Immo id solummodo per totam vitam proposuit humani generis societati prodesse ac reipublicæ. Et ipse sic existimat hominem esse sociale animal ; quin etiam quoties respicit se esse membrum totius corporis ex omnibus rationis participibus constituti, ita secum reputat : « Si solummodo pars esse dicis, non ergo adhuc homines diligis ex animo (2). » Universos enim homines judicat sibi cognatos, non sanguine quidem conjunctos, sed propter id ipsum quod ejusdem rationis participes (3) : hoc tantum ratus, quia imperator est, dux etiam præberi hominibus, quemadmodum solent gregi suo aries et taurus.

Sed quomodo gregem ducat uterque, hoc dissident Seneca atque M. Aurelius Antoninus.

(1) Πρὸς ἑαυτὸν, XII, 24.
(2) VII, 13.
(3) XII, 26 ; VII, 13.

Nempe ita censuit Antoninus Deo illi interiori a quo quisque regitur tradendum esse atque offerendum animum virilem, ætate mitigatum, boni publici amicum, romanum denique virum eumdemque imperatorem. Quod quidem specie tantum reddit illa Senecæ somnia. Imperator enim, secundum L. Annæi sententiam, Stoïcus est sapiens ipse regnum adeptus. Marcus Aurelius contra, seu voluntate, sive indolis natura miti, non commisit ut indulgeret genio illi austero. In judiciis tantum accurata consideratione pronuntiatis ac perlustratis (1) obstinatam illam mentem præ se fert et quasi ferream. Non enim aliud genius ille nisi mansuetudinem ei attulit (2), licuitque per genium Deos imitari, sed Deos benignos (3). Abjicit etiam Aurelius Stoïcorum superbiam, nihil ipse spirans nisi clementiam et lenitudinem (4). Quippe qui universis hominibus adjutorem se præbeat, ut assequantur finem cuique a natura propositum, id est rationis cultum curamque boni publici (5). Nec minus nimis imperiosa quæque aut superlata verba abjicit, et sermone ipso ac

(1) I, 16.
(2) *Ibid.*, et cf. II, 13; V, 27.
(3) IX, 11.
(4) « On se sent avec lui, écrit M. Martha, comme enveloppé d'influences clémentes. »
(5) VI, 14.

delectu verborum moderatam sapientiam testatur atque declarat. Ut enim exemplo utar, inscribit L. Annæus hujusce modi formulam : « Vincit malos pertinax bonitas (1). » Hoc autem Antoninus satis ducit expressisse ita professus : « Optimo quoque modo ulciscitur, si quis abnuit semetipsum malis viris assimilare (2). » Sinceram enim haud quidquam vincit benignitatem propter id ipsum quod « proprium est hominis illos amare a quibus offenditur (3). »

Nempe, re vera, quid deceret virilem animum alio valde modo atque Seneca judicabat M. Aurelius. Sapiens enim, secundum Senecam, virili virtuti nescio quid miscuit superbi durique et asperi : lenitati contra et bonitati Antoninus inesse virilius aliquid opinatus est, et humanæ naturæ convenientius (4). Hic mollescit et se frangit illius secundum Senecam Sapientis durities ; ideoque apud nos notissimus scriptor, postquam diligentissime Senecæ *de clementia* dialogum legerat, interrogavit (5) verbone illi nostro « *compatir* » e latina in nostram linguam translato subjicienda

(1) *De benef.*, VII, 31. — V, 2. 1 ; 3. 3 ; etc.
(2) VI, 6, et XI, 18. 9.
(3) VII, 22 ; IX, 42 ; X, 30.
(4) XI, 18.
(5) Diderot, *Essai sur les règnes de Claude et de Néron* (Ed. J. Assézat, Œuvres complètes, t. III, p. 291).

foret sententia adeo dissimilis nostræ. Apud Aurelium contra, non jam quasi corneam fibram reperias (1), nec tamen illius lenitatem ducas esse imbecillitatem animi. Facta enim est apud eum mollis dulcisque lenitas quasi mundus virilis, nedum permittatur solis mulieribus.

Quamobrem et virile nescio quid inest apud Antoninum mansuetudini, et apparet oculis quam late splendeat amore quasi ditata atque dilatata humana mens. Inde placita illa Antonini quibus Neroni Seneca interdicat, quale est : « Ignoscere debes (2). » Sed ne veniam illam virilem in facilitatem nimiam et enervem abiisse putes, adjicit hæc Antoninus : « Si requiras a malis, ne perperam faciant, desipis, quia expetis quod fieri non potest. Quod si vero sinas illos aliis officere, requirasque simul ne tibi damnum afferant, iniquus es valde ac tyrannus (3). »

Quid multa? Hoc videtur reputasse secum M. Aurelius per totam vitam quod ipse scripsit : « Cave ne cæsarisses » (4). Neve grex ille, cui præerat, ne communis quidem utilitatis causa

(1) Cf. Martha, (*les Moralistes sous l'empire romain*) p, 180, 192 et p. 186, 183 : « On dirait que la fibre humaine s'est amollie chez Marc-Aurèle ».

(2) VII, 26.

(3) XI, 18. 9.

(4) VI, 30.

tyrannide laboraret, abnuit amplecti nimis imperiosam illam de imperatore doctrinam, qualis est apud L. Annæum. Gementes enim servos, ut ait (1), aut specie tantum ac veteratorie bonos cives parare veretur, si speret rempublicam quamdam fore platonicam ; censetque a principibus prohibendum esse malum potius quam sanciendum bonum. Immo, quia concepit animo liberam quamdam reipublicæ formam, æquali legis jure constitutam, abnuit imperiosæ virtuti regnum trădere vel apud Romanos, magistratuum tamen genere imperioso aut Augusti placitis ad id antea præparatos. Omnibus enim imperatoris officiis anteposuit civium libertatis reverentiam.

Hac quasi oppositione quid in nostro de clementia dialogo legentem offendere valeret tetigimus, quoniam ad M. Aurelium veluti ad terminum suum Stoïcorum doctrina spectare videtur.

Ad quem eventum ab initio tendere Stoïcorum doctrinam, haud equidem asseverabo. Namque superbum nescio quid ac liberum tyrannisque infensum olim ita spiravisse Stoïcos reputo ut Cæsaribus saltem, si non civitatis formæ ab imperatoribus administratæ, natura potius eos repugna-

(1) IX, 29.

visse dicam (1). Ceteroquin cum populari civitate pariter atque optimatum dominatu doctrinam illam congruisse judicare est. Attamen si vere accessissent ad rempublicam, decebat Stoïcos quocumque modo favere optimatibus, quoniam iis homines in sapientes ac stultos distribuere placuerit.

Re vera quidem, non M. Aurelius tantum, quamvis platonicæ civitatis memoriam retinuerit, sed et L. Annæus, quamvis de Catone atque Bruto (2) libere judicaverit, cum Stoïcis congruentem sententiam de unius imperio sunt professi. Ille enim nullam absque unius lege felicem hominum

(1) J. Denis, *Histoire des idées morales*, t. II, p. 59 sq. — Cf. Sen. *Ep.* 73 (*Immerito philosophos sediliosæ mentis argui*) : « Errare mihi videntur qui existimant philosophiæ fideliter deditos contumaces esse ac refractarios, et contemptores magistratuum ac regum eorumve per quos publica administrantur. » — Atqui videre est apud Persium et Tacitum quid Cæsarum fautores Stoïcis imputarent, sive « rabiosa silentia » (Pers., *Sat.*, III, 81), seu contumaciam sententiarum, rigidum ac tristem habitum, vel nomina veteri quoque reipublicæ ingrata (Tac. *Ann.*, XVI, 22).

Cf. etiam Epict. Dissert., I, 9, 21 : Διὰ τί τοὺς ἐν δυνάμει τεταγμένους δείσει ;... — IV, 7. 1 sq. 13 sq. 25 sq. 31 sq. 33 : Ναὶ. Ἀλλ' οἱ λόγοι οὗτοι καταφρονητὰς ποιοῦσι τῶν νόμων. Καὶ ποῖοι μᾶλλον λόγοι πειθομένους παρέχουσι τοῖς νόμοις τοὺς χρωμένους ; Νόμος δ' οὐκ ἔστι τὰ ἐπὶ μωρῷ. — 36 : Οπου κρείττων εἶ καὶ ἰσχυρότερος, ἐκεῖ σοι ἐξίσταμαι · ὅπου πάλιν ἐγὼ κρείττων, σὺ παραχώρει μοι · ἐμοὶ γὰρ μεμέληκε, σοὶ δ' οὔ.

(2) De Bruto apud M. Aurelium, vide Πρὸς ἑαυτὸν, I, 14 : Παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ μου Σεουήρου,... τὸ δι' αὐτὸν γνῶναι Θρασεάν, Ἐλβίδιον, Κάτωνα, Δίωνα, Βροῦτον, καὶ φαντασίαν λαβεῖν πολιτείας ἰσονόμου, κατὰ ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένης, καὶ βασιλείας τιμώσης πάντων μάλιστα τὴν ἐλευθερίαν.

societatem fieri posse existimabat, ad Jovis imperii instar atque illius universæ civitatis (1), hic autem civium parentem esse regem aut imperatorem opinatus est, id quidem ratus romanis rebus utilem atque necessariam factam esse imperatoris voluntatem. Nempe Catonem Seneca, non utpote popularis civitatis amicum, sed ut sapientem extollit (2). Mittam equidem omnia alia loca, præter unum e dialogo *de beneficiis* excerptum, ubi Brutum reprehendit : « Mihi enim, cum vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer errasse, nec ex institutione stoïca se egisse, qui aut regis nomen extimuit, cum optimus status sub rege justo sit ; aut ibi speravit libertatem futuram, ubi tam magnum præmium erat et imperandi et serviendi ; aut existimavit civitatem in priorem formam posse revocari, amissis pristinis moribus, futuramque ibi æqualitatem civilis juris et staturas suo loco leges, ubi viderat tot millia hominum pugnantia, non an servirent, sed utri (3). »

Ab his pendet, ut ita dicam, totus *de clementia* dialogus.

(1) II, 16, sub finem ; III, 11 ; IV, 23; VI, 44; XII, 36.

(2) *De const. sap.*, 7.

(3) *De benef.*, II, 20. 2.— Cf. *Ep.*, XIV. 13: « Quid tibi vis, Marce Cato? Jam non agitur de libertate ; olim pessumdata est... »— *De clem.*, I, 19. 2: « Natura commenta est regem. »

Cf. Boissier. *op. cit.*, t. II, p. 23 : « Un partisan convaincu du régime impérial (Sénèque). »

Non enim pro tyranno se gerit Stoïcus ille, secundum Senecæ sententiam, imperator, sed clementia insignitur. Ad hoc, quantumvis potestate sua abuteretur imperator, imo quamvis ad speciem tantummodo Patres conscripti cuique principi deferrent auctoritatem ac majestatem, populi romani jus exercet summus ille magistratus, vel ipse Nero Cæsar. Quamobrem in dialogo *de beneficiis* Roma Senecæ visa est, vel post Tiberii principatum, « libera civitas »: hoc tantum rato civitati esse optimum, si staret sub principe justo. Quin in libro *de brevitate vitæ* scripsit divum Augustum omnia videre ex se uno pendentia, qui hominibus gentibusque fortunam daret (1): haud tamen hanc tyrannidem dixere plerique Romani, quia potestas tanta legibus et communi quadam opinione temperata videbatur (2).

(1) *De brev. vitæ*, IV, 4.

(2) Cf. tamen Dio., LX, 3, et Tac. *Ann.*, XIII, 28: « Manebat nihilominus quædam imago reipublicæ. »

CAPUT VII

Quo animo Neronem Seneca clementiam doceat

Quoniam igitur ex animo Seneca de imperii necessitate scripsit, unde fit ut nimiis quibusdam blanditiis auctoritatem suam, philosophia quidem fideque confirmatam ac munitam, elevare videatur?

Nemo enim hoc infitiabitur, specie saltem, aliquando L. Annæum in nostro dialogo ultra indulgentiam quæ vocatur pervadere. An omnes afferam blanditias illas? An illud exordium in quo loquitur de Neronis recte factis virtutibusque? Expeditne, honoris causa, memorare hæc atque alia loca: « Rarissimam laudem et nulli adhuc principùm concessam concupisti, innocentiam (1).» Quin medius fidius extollitur « bonitas ista singularis. » Prætereo quidem « bonam conscientiam » illam quam Neronem « juvat inspicere et circumire (2). » Sed cur in serium vertere vi-

(1) *De clem.*, I, 1. 5.
(2) *De clem.*, I, 1. 1.

detur nescio quam Neronis vocem ? « Præstitisti, Cæsar, civitatem incruentam, et hoc, quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse, eo majus est mirabiliusque, quod nulli unquam citius gladius commissus est (1). » Nonne debuit ad id Neronem attentum facere, nemini scilicet Sapientem blandiri, nedum doceret Sapientem neque misereri, neque veniam cuiquam dare? Mehercule, cum legitur hicce locus in secundo libro, « diutius me immorari huic patere voci, non ut blandum auribus tuis (nec enim hic mihi mos est; maluerim veris offendere quam placere adulando) », non jure aliquis interrogabit, quidnam igitur agat, si non adulatur, præsertim quod « istam animi mansuetudinem » jactat fratricidæ? (2)

Ergo nostrum *de clementia* dialogum consolationi illi ad Polybium, ut præstantissimus historiæ romanæ scriptor, assimilabimus? Quod quidem, nisi fallor, severum esset usque ad injuriam.

Etenim, ne singula percurram, omissoque illo dialogi exordio de quo antea sententiam explicui,

(1) *Ibid.*, I, 11. 3.

(2) *Ibid.*, II, 2. 1. — Cf. Tac. *Ann.* XV, 61 : Seneca respondit « nec sibi promptum in adulationes ingenium; idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui sæpius libertatem Senecæ quam servitium expertus esset. »

Seneca in hoc saltem est defendendus, quod talia non sine probabili causa prædicavit. Namque forsitan de Nerone bonam opinionem in vulgus manare oportuerit; forsitan et, deficiente alia regendi et convertendi principis ratione, laudes illas quæ, Britannico interempto, vel neminem fallerent, ultro tribuerit. Jamdiu enim Nero sui arbitrii suæque spontis erat. Adhibebat quidem ad consilium Senecam, cujus perutilis opera esse non desierat; ipse autem imperabat, neque profecto, jam inde ab anno 55, postquam Britannico venenum paraverat, et semel matris necem erat molitus, publice et tribus libris fusius moneri passus fuit. Quamobrem Seneca bonitatem illam Neronis, verbis quidem, extollit, et multa ei de romani populi voluntate pollicetur: quo in consilio, ut arbitror, omni ope connititur ut laudibus Neronis clementiam obstringat, omnibus adeo necessariam (1).

(1) Cf. Diderot, *Essai sur les règnes de Claude et de Néron*, p. 59: « Leçons indirectes et obliques. » — Atque idem Diderot affert Trajan. Paneg , cap. IV init.: « Sed parendum est senatusconsulto, quod ex utilitate publica placuit, ut consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni principes quæ facerent recognoscerent; mali, quæ facere deberent. » — Cf. *ibid.*, p. 183: « Il y avait des épithètes d'usage qui précédaient les noms des empereurs comme les faisceaux précédaient leur personne, etc. »

Cf. Tac. *Ann.* XIII, 11: « Magnis Patrum laudibus, ut juvenilis animus, levium quoque rerum gloria sublatus, majores continuaret. »

Quod autem ad exquisitiorem illam atque adulatricem scribendi rationem qua Neronem libertæ, immo Othonis et Senecionis amatorem allocutus, utitur, respice jam ab Augusti ætate talem assentationem fuisse usitatam, præsertim quoties publice principes illos, præsentes quidem deos ac manifestos, alloqui oportuit. Fateor equidem nimis regiarum domuum artes edoctum videri Senecam, immo blandientium callere sermones atque usurpare ultro: nihilominus oblivisci nec temporis illius possum, neque religionis quasi publicæ, neque Augusti Larium, neque imperatorum illorum pæne Orientis more ad deos evectorum; ideoque placet judicii tristitiam lenitate quadam verborum mitigare; immo juvat elevare culpam, illamque assentationem, nimiam quidem, ut apparet, in libellis Neroni singillatim publiceque dicatis. Denique cum sueta, ut ait Tacitus (1), adulatione Patrum laudes illas, absit verbo invidia, bifrontes, quasi telum anceps nec sine ictu contortas, conferre juvat.

Ceteroquin operæ pretium est in dialogo nostro animadvertere stoïcam Senecæ disciplinam, verbis duram, re vergentem ad faciliora, qualia placent elegantioribus. Neque delicias quidem aspernabatur L. Annæus, C. Cæsare imperante, quanquam

(1) Cf. *Ann.*, XIII, 10. — Cf. *ibid.*, 8.

valetudine infirma. Amaveritne Juliam aut Agrippinam ? Incertum est, aut potius extra fidem. Obsequentem tamen dictis speravit hunc fore ministrum Agrippina: rebellem invenit. Seneca enim meliora videt probatque, et, quod probat, audet interdum aggredi, quamvis arguta aucupetur et præstigias quærat: condonandam quidem his temporibus agendi rationem, quoniam ipse Thrasea nemini salutem afferre, nihil corrigere valuerit, et, sibi causa periculi facta, ceteris libertatis non præbuit initium (1). Et forsitan aliquando (2) quasi confessionem teneamus in dialogo qui *de clementia* inscribitur: neque igitur infitiabor subesse his libris nescio quam ambitionem. Sed et id constat, ut opinor, Senecam in dialogo perinde atque in illo communi inter ipsum Burrumque publicæ pacis patrocinio, se gessisse pro viro probo et frugi, atque omni ope connixum ut impatienti Neroni, tanquam tigri nascenti eidemque matrem voraturo, moram afferret.

(1) *Ann.*, XIV, 12.

(2) Ut exemplo utar, cf. *de clem.*, I, 6. 3 : « Peccavimus omnes. » — Cf. etiam *de ira*, III, 26. 4.

Nempe præceptor quisque principum ac minister haud multa arbitrio suo fecisse solet. Aspice tamen quot et quanta, dimidium quidem tantummodo sententiæ elocutus, significare audeat!

Illum enim *de clementia* dialogum, nonne totum denique conscripsit, ut aliis novisque facinoribus (1), pro virili parte, officeret? Hoc, ut opinor, est intelligendum in laudibus quas Neroni impertivit, neque fefellit ministrum discipuli indoles (2). Id autem secum reputasse et in vulgus emisisse apparet (3) divum ipsum Augustum, cum hoc ætatis esset quod Nero, et duodevicesimum annum vix foret egressus, jam pugiones in sinum amicorum abscondisse, jam insidiis M. Antonii consulis latus petivisse, jam fuisse collegam proscriptionis.

Immo etiam cum hæc Romanis reducit in memoriam, submonetque multum in rem communem a Nerone, ad summam, fuisse jam impetratum (4),

(1) V. *de clem.*, I, 8, in fine.

(2) « Quod nunc natura et impetus est, fiat judicium. » (*De clem.*, II, 2. 2)

(3) *Ibid.*, I, 9. 1.

(4) Hoc etiam animadverte initio libri secundi Burrum a Seneca prædicari, licet Burrus Neronis offensam nuper subierit.

amplius adjicit, progreditur longius et præbet discipulo quæ secum commentetur.

De hac re noster quidem Diderot veras habuit opiniones (1).

Etenim belluam perspexerat in Nerone Seneca, humana licet figura indutam. Inde exempla in dialogo et sententiæ, et monita occurrunt, qualia haud quisquam philosophus alii tunc commisisset ac Neroni, eademque quasi ad id unum pertinentia : cave ne jam tigris evadas ! Nec me quidem fallit omnia hæc spectare præsertim ad principatus citeriores, ideoque tolli omnem peculiaris offensæ speciem. Introspice autem callidi scriptoris sententiam et ictu quasi multiplici atque ambitu libenter utentis : scripsit quod maxime rem continebat. Vere fungitur speculi vice. Nempe ab omni prioris libri parte quasi exit, sub nomine tyranni, exacta Neronis imago.

Omitte enim absoluti illius ac perfecti imperatoris ideam, veluti regnantis ipsius Sapientis, et mundi arbitrum illum eumdemque patriæ parentem, sine odio gubernantem (2) : nonne legenti paulatim surgere videtur ante oculos, et crescere formidanda quædam figura, silvestris quidem

(1) V. *Essai* etc., p. 289, ubi de quarto et vicesimo præsertim prioris de clementia libri capite agitur.

(2) V. *de clem.*, I, 14, 2. — Cf. *Ep.* 73. 2 : « Ut parentem colant. » (*Immerito philosophos seditiosæ mentis argui*).

animalis (1)? Animadverte « dirum » illum « animi morbum » (2) et regem hunc qui « in monstrum excrevit. » Quale ejus regnum est! Et quo exactius etiam imago illa describatur, accidit ut Seneca pæne eosdem colores usurpet quibus Tacitus pinxit Neronis errores (3), et omnia mæsta proponat oculis, omnia trepida confusaque, non aliud atque captarum urbium formas, et terribiles facies publici metus!

Equidem, nisi fallor, cum in his, tum in aliis etiam locis, teneo Senecam tantum non audacem, et audio sermonem vel philosopho in Neronis aula vix concessum. Qualia sunt hujusce modi: « Non est magni animi, qui de alieno liberalis est (4) »; atqui liberalitatem Nero affectabat, et nuper, Britannico interempto, largitione potissimos amicorum auxerat; nec defuere, si Tacito credas (5), qui arguerent viros gravitatem asseverantes, quod domos, villas, ea ætate, quasi prædam divisissent. Quid quod Seneca signa demonstrat accuratius quibus dignoscantur crudelitas

(1) Cf. *de clem.*, I, 25, 1.

(2) *Ibid.*, I, 25. 2.

(3) V. *Ann.*, XIII, 25 : « Et in modum captivitatis nox agebatur. » — *De clem.*, I, 26, 2.

(4) *De clem.*, I. 20, 3.

(5) *Ann.*, XIII, 17 in fine; 18 : « Alii necessitatem adhibitam credebant a principe, sceleris sibi conscio, et veniam sperante si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. »

ac feritas, sic locutus (1) : « Quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen sunt, tanquam qui ignotos homines et obvios, non in compendium, sed occidendi causa, occidunt, nec interficere contenti, sæviunt. » Possumus dicere non esse hanc crudelitatem sed feritatem, cui voluptati sævitia est ; possumus insaniam vocare : nam varia sunt genera ejus et nullum certius, quam quod in cædes hominum et lancinationes pervenit. » Quod mire congruit cum Neronis erroribus nocturnis (2).

Etenim ut, civilis vir et rebus romanis præfectus, verecundia quadam obstringebatur erga principem, sic ei, ut philosopho (3), licuit liberius eloqui et asperius. Et illud nonne animadvertendum est, quo liber prior finem capit, de principis munere : « Hæc divina potentia est, gregatim ac publice servare ; multos quidem occidere et indiscretos, incendii ac ruinæ potentia est ? » Cavendum enim ne quis propere clamet nihil nisi assentationes occurrere in hoc dialogo (4).

(1) *De clem.*, II, 4. 1 et 2.

(2) Adde : « Horum ne a necessariis quidem sibi rabies temperat » (1, 26. 4), quæ quidem scripta sunt posteaquam Britannicus veneno est interfectus.

(3) Cf. G. Boissier, *la Religion romaine d'Auguste aux Antonins*, t. II, p. 20-39.

(4) Cf., ut exemplo utar, Schillerium (*Gesch. d. roem. Kaiserreichs unter Nero*, p. 700, adnot. 9) dialogi *de ira* loca etiam ostentantem (2, 30-33 ; 3, 14-15, 23).

Quid multa? Etiamsi minimam Dioni (1) fiduciam habeas, unum ex historiis ejus Senecæ verbum eruam. Nempe Nero Cæsar, Agrippina interempta, cælestibus portentis perterritus, hariolos consuluit. Posteaquam autem illi responderunt tot prodigia Neroni esse obfutura, suaseruntque ut hæc a se arceret, deflecteret contra in alios, ibat in cædes princeps nisi Seneca obstitisset, audaci quidem verbo et mire cum indole congruenti : « Quantumvis multos occideris, successorem tibi necare non continget. » Talem igitur se præstat Seneca in dialogo *de clementia*. Neroni, ut ægro medicatur (2), et quamvis caute agat vir ille ver-

(1) LXI, 18.

(2) Cf. *de Clem.*, II, 7, 4.

Quod quidem ad patrocinium Senecæ indolis attinet, meditandi causas præbet noster Diderot (*Essai*, p. 48, 64, 75, et § L. — Cf. etiam imprimis Constant Martha, *les Moralistes*, etc., p. 85 sq., et p. 89. adnot.). Sed in eo errare Diderot videtur, quod Tacitum adeo Senecæ amicum esse existimat.

Unum autem addam de Agrippinæ interitu aut alterum verbum. Nempe Seneca variatam rei memoriam certe pernoverat et specie quidem accepisse videtur quæ Nero tradidisset et fama percrebuisset : sed eam adhibuit de vita Agrippinæ judicandi rationem ut simultatem ipsam, haud sine industria ostentatam, in confessionem

satus in principum amicitiis, majoribus etiam calamitatibus, pro virili parte, occurrit.

duceret. (Cf. Tac. *Ann.*, XIV, 11 : « Repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrippinæ libertis... » Adjiciebat crimina longius repetita... « Quanto suo labore perpetratum, ne irrumperet curiam, ne gentibus externis responsa daret? »... Sed adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset. »

CONCLUSIO

Sic in dialogo *de clementia* L. Annæus quid sentiret de institutione principis, ad eventum accommodavit.

I

Quod quidem ad dialogi rationem attinet, operæ pretium erit, quæ supersunt, conferre cum dialogi *de ira* ratione, antea conscripti, cujus liber primus, si Senecam ipsum sequaris, benigniorem habuit materiam : « Facilis enim in proclivia vitiorum decursus est (1). » Simili autem modo Seneca, in priore *de clementia* libro, exspatiatur et se fundit latius, et quasi « manumissione » quadam jugum excutit artis dialecticæ atque evehitur ad illa altiora unde facilis in proclivia crudelitatis est decursus.

(1) *De ira*, II, 1, 1.

In secundo autem *de ira* libro, ad exiliora confitetur sibi veniendum: « Quærimus enim utrum ira judicio, an impetu incipiat. Debet autem in hæc se demittere disputatio, ut ad illa quoque altiora possit exsurgere (1). » Strictiorem similiter disputandi speciem ostendit initio libri alterius *de clementia*, veluti medicus interpretatur morbi signa et dignoscit capitale quoddam. Ad exiliora igitur se demittit ; utque priorem librum accurato potius sermoni quam scholasticæ disputationi summatim æquiparabis, ita, in altero, quasi compressit manum pugnumque fecit, modo si recte ab iis quæ supersunt, dijudicamus, omisso quidem libri initio.

Denique confer tertium *de ira* librum cum iis quæ tertio loco pollicetur Seneca se de clementia esse professurum, nos autem amisimus. « Quod maxime desiderasti, Novate, nunc facere tentabimus, iram excidere animis, aut certe refrenare, et impetus ejus inhibere (2). » Nonne vicinum est quod scripsit de tertio dialogi nostri libro : « Tertio loco quæremus, quomodo ad hanc virtutem (clementiam dico) perducatur animus, quomodo confirmet eam et usu suam faciat? (3). »

(1) *De ira*, II, 1. 1 et 2.
(2) *De ira*, III, 1, 1.
(3) *De clem.*, I, 3. 1.

Non igitur sine similitudine quadam dispositionis et hunc et illum dialogum explicari judicabimus, ita ut a priore, quoquo modo, alterum discere sit (1). Inde equidem id unum inferam, L. Annæum, postquam *de ira* ingenium protulisset et futuri præceptoris industriam, in illo dein *de crudelitate* libro ad usum Neronis præteritæ totius institutionis præcepta contrahere fuisse aggressum.

II

Quod si spectemus ad formam scribendi, peculiare aliquid in hoc dialogo est animadvertendum,

(1) Ex quibus conjici potest erravisse Erasmium, cum secundum nostri dialogi librum, quod superest, opinaretur esse tollendum utpote alterius dialogi partem sive initium. — (Cf. Ein Fürstenspiegel aus der Vorzeit für die Jetztzeit (p. 102): des Lucius Annæus Seneka zwei Bücher *von der Gnade* an Kaiser Nero. — Beim Eintritt in die zweite Hälfte des neunzehnten Jahrhunderts für *Regierende und Regierte*, aus dem untergedruckten lateinischen Texte übersetzt und mit erklärenden Anmerkungen versehen.

Motto: Wo die Lebenden schweigen
Musz man die Todten hören.

Denau, Druck und Verlag von Moritz Katz (Gebrüder Katz) 1851.

An idem scriptor hic conjiciendus sit atque ille *Albani* in quibusdam repertoriis nomine designatus, haud equidem affirmare ausim. Id tantummodo non dubitamus quin incertus ille scriptor spectet ad civiles turbas quæ ortæ sunt apud Borussos circa annum 1848.

quod quidem patefecit noster Diderot (1) : fractum enim dicendi genus, a Quintiliano tantopere reprehensum, hic Seneca magna ex parte vitavisse videtur, quæsivisse autem aliquid simplicius et latius, et amplius, quippe qui Neronem publice alloqueretur.

Et nonnulla quidem profecto lumina orationis reperire est sententiolasque, qualia sunt « prodire te putas ? oriris » (2), et verborum hunc quasi tinnitum « idemque huic urbi finis dominandi erit, qui parendi fuerit » (3), aut igniculos quorum sunt « voluntas oportet ante sæviendi quam causa deficiat » (4), et « tam omnibus ignoscere crudelitas est quam nulli (5). » Sed crediderim non procul a recto recessisse inclytum nostrum Senecæ judicem ac defensorem.

Neque ideo hunc de clementia dialogum ceteris

(1) *Essai...*, p. 289 : « Ce traité est adressé à Néron au commencement de la seconde année de son règne ; aussi le ton en est-il noble et élevé, le style souvent ingénieux, mais plus simple, moins haché, et s'il m'est permis d'emprunter une expression de la peinture, plus large. »

Ad recitationes spectare nonnulla dialogi *de ira* loca non immerito opineris, qualia sunt II, 13. 2 : « Non vanæ vobis auctor rei venio » ; II, 33. 6 : « Perierat alter filius, si carnifici conviva non placuisset » ; III, 14. 3 : « Ejus rei laudator fuit, cujus nimis erat spectatorem fuisse » ; III, 19. 4.

(2) *De clem.*, I, 8. 4.

(3) *De clem.*, I, 4, 2.

(4) *Ibid.*, I, 8. 7.

(5) *Ibid.*, I, 2. 2.

L. Annæi operibus vel gravitate, vel ipsa scribendi ratione præstare crediderim. Ibi enim reperias, ut in aliis majoris etiam spiritus, longum nescio quid, absit verbo invidia, et adhærescens, præterea digressam interdum a proposito orationem, non absque voluptate. Ceterum fere omnes consentiunt ingeniosissimum illum virum et doctrinarum orbe munitum, reipublicæ administrationi multum profecisse quod ad amplitudinem ingenii attinet atque aciem (1); quid igitur mirum quod in posterioribus operibus, in Epistulis præsertim, scribendi etiam ratione propria emineat?

Id quidem certe asseverabo: si quis Senecæ invideat cogitandi magna et ample eloquendi facultatem, respicere jubebo orationem illam ficte Neroni addictam initio libri prioris, eumque interrogare ausim num multas alias afferre possit quæ grandiores sint, e quocumque scriptore erutas, ne Tacito quidem excepto (2). Profecto minus me juvat prosopopœia illa, quæ ita incipit: « Quid

(1) Cf. G. Boissier, *la Religion romaine*, t. II, p. 71 : « Peut-on saisir des différences radicales entre ces ouvrages (*sur la colère, sur la clémence*) et ceux qui furent composés après 56... ? Les derniers, sans doute, valent mieux que les autres; ils sont plus remarquables par la pensée et par le style, mais c'est un progrès qu'expliquent assez l'âge et l'expérience de l'auteur. On ne vit pas pendant plusieurs années au milieu des plus graves affaires, on n'est pas associé au gouvernement du monde sans que l'esprit gagne en profondeur et en étendue. »

(2) Diderot, *Essai*, p. 290.

enim interest, oro te, Alexander, leoni Lysimachum objicias, an ipse laceres dentibus tuis ?» (1) Quidni autem divum Augustum cum Cinna colloquentem afferam, locum illum notissimum, ubi Livia uxor virum interpellat et clementiam suadet, quoniam ille severitate nihil adhuc profecit ? Quid Augustum sibi irascentem : « Quid vivis, si perire te tam multorum interest? Quis finis erit suppliciorum ? Quis sanguinis? » (2) Quin eo ipso quod Cornelius noster hunc locum tragœdiæ suæ totum inscripsit, testificari quodam modo possimus eximiam dialogi de clementia virtutem. (3)

Sed ut simplex aliquid elatumque inesse his libris animadvertendum est, ita non alias clarius opinor se præbuisse spectandam quamdam Senecæ propriam scribendi rationem. Sunt enim periculosæ sententiæ (et forsitan seditiosa videri potuerit secta Stoïcorum), sunt, ut argute dictum est (4), sensus audaces quos Seneca gestit proferre in lucem, neque tamen sustinet. Ergo progreditur simul et recedit; ambitu quodam, quid

(1) *De clem.* I, 25. 1.

(2) *Ibid.* I, 9. 5.

(3) Diderot, *op. cit.*, p. 291 : « Je ne connais point d'auteur moderne qui ait plus d'analogie avec un auteur païen que Corneille avec Sénèque. Si Racine doit à Tacite la belle scène entre Agrippine et son fils, Corneille doit à Sénèque celle d'Auguste et de Cinna. »

(4) M. Martha, *les Moralistes*, etc., p. 98.

habeat in animo, significat, et quasi digito semel atque iterum tangit, ut illùc convertat legentis oculos, nec tamen plane declaret. Scilicet sub tyranni principatu, duplici modo scriptores, quid sentiant, uno eodemque tempore aperire et simul operire callent; seu premant sententiam, Taciti instar, et pæne opprimant, et cuique, pro ratione audaciæ, permittant eruendam; sive, ut Senecæ magis placet, crebris sententiis et quasi procacibus obtundant aures mentemque præstringant atque etiam, permixtis vestigiis suis, mediis ambagibus malignos eludant.

Quod, nisi fallor, mire occurrit dialogum *de clementia* legenti. Fungitur enim Seneca, ut supra dixi, speculi vice, et tyranno tyranni faciem ostentat indecoram. Scriptorem vero quis unquam deprehendat imprudentem aut oscitantem? Quis incallide moventem remos? Quis unquam canentem absone? Atque inde Neroni illi, mox futuro tyrannorum exemplari absoluto, contigit pictoris ejusdemque præceptoris experiri manum, adspicere suam ipsius imaginem similitudinemque expressam: dubitare tamen posse utrum Caiusne ageretur, aut Tiberius, an ipse Nero Cæsar.

III

Restat ut, unde cepimus exordium, inde exitum habeamus.

Atqui apparet in nostro dialogo, nisi fallor, inserta quædam de ratione imperii stoïca doctrina : de qua conati sumus afferre judicium, neque parum ideo profuit nobis, quo evaserit hæc administrandæ . reipublicæ ratio apud M. Aurelium perquirere. Nunc autem, quid commercii exstiterit inter Stoïcos philosophos et tot viros qui gesserunt rempublicam, ante Senecæ tempora atque etiam circa Senecam, breviter respicere placet. Forsitan hæc consideranti non ita sine effectu in commune bonum prodiisse appareat Stoïcorum placita, quæ quidem in nostrum dialogum quasi coire videntur.

Stoïcorum enim doctrinam non immerito dictum est Romæ versari, quasi in domicilio et in patria sua. Prius enim quam ullum noverat Zenonis discipulum, Stoïcam indolem jam prisca ætate præ se tulit imperiosa illa civitas. Jam commenticios et fictos viros, Horatium Coclitem totque alios quorum pueri legimus selecta nomina, nonne quoquo modo Stoïcos sese ostendisse jure quis

asseveret? Quod si Stoïcorum annales conscribere aggrediaris, qui quidem Romæ civilibus rebus interfuerint, non doctrinarum solummodo, sed morum componas historiam. Quo tempore enim Romani, vitæ non philosophiæ dediti, ipsam novere Zenonis doctrinam, haud quidquam ex illa, quasi arbore, nisi fructus decerpere conati sunt. Neque dubia est apud eos Stoïcorum auctoritas, sed inclytorum virorum nomina designare possis et reipublicæ præfectorum.

Ut exemplis utar, non Terentium modo Lælius et Scipio, sed et Panætium imprimis ingenuum et gravem, ut ait M. Tullius (1), Romam adductum a Diogene et Lælio commendatum, habuere contubernalem. Atqui Panætius Chrysippi dumeta deseruerat. Quin et Antipatrum, stoïcum illum philosophum, nonne memorabimus a Catone Uticensi non semel fuisse, longo tamen itinere, quæsitum?

Ingenuum quidem illud admirationis testimonium : sed in M. Tullii operibus, in illo præsertim qui inscribitur *de officiis*, quantum Zenoni, quantum Panætio tributum est ! Quantum adoleverat, invito Carneade, Stoïcorum auctoritas ! Et quam mutatos animos ab illo tempore quo Numæ libros subditicios Patres conscripti injecere flammæ, ut-

(1) *De fin.*, IV, 9. 23.

pote quibus aliqua philosophia inesset (1) ! Neque hic memorabo Stoïcorum illos prope sanctos viros, feminas illas prope sanctas : at quoties, ex quo philosophia Romæ per M. Tullium quasi civitate fuit donata, in libris M. Tullii acquievere viri rempublicam administrantes ! Quam mira temporis opportunitate, postquam Cæsar eos imperium deponere subegit ! Quid Lucullum memorem, academici quidem Antiochi amicum, quid Pompeium colloquentem cum rhodio illo philosopho quem fama est ita exclamasse : « O dolor, non tu malum ! » Multum enim philosophiæ profuit periisse libertatem.

Proinde annos aliquot transeamus. Omittamus Areum, divi Augusti et Liviæ uxoris philosophum. Jam circa Senecam, quos qualesque perhibere erit !

Profecto Stoïcorum secta, posteaquam inter viros rebus publicis consulentes Thraseam quoque numerare licuit, jure præ se ferat se vel silentio valere. Atqui, Nerone imperante, duplex adversariorum principi genus philosophorum hæc secta genuit (2) : quorum alii a Catone libertatis amorem acceperunt hereditarium, alii non appetunt res

(1) V. C. Martha, le philosophe Carnéade à Rome, dans les *Études morales sur l'antiquité*, p. 83.

(2) Cf. H. Schiller., *op. cit.*; p. 667 et 693.

novas, subeantque libenter, sublato Nerone, unius imperium. Stoïcorum enim coluit disciplinam Thraseæ amicus ille Barea Soranus, ab Egnatio Celeri magistro institutus (1). Atque alios exstitisse qui Zenonis placita essent amplexi, testantur et A. Persii Flacci versus et Musonii Rufi fragmenta philosophica (2) : qui quidem, Thraseæ instar, optimatibus et liberæ civitatis rationi favebant. His non Pisonem ceterosve conjuratos opponam, at Senecam tantummodo. Omittamus etiam singulares viros et quasi separatos, Demetrium imprimis, alioquin Cynicorum disciplinam amplexum. Quibus enim respectis omnibus, non ego opinor adeo extra laudem affectasse sibi Senecam grave munus imperii.

Itaque ad inceptum redeamus.

IV

Sicut enim viri civilis simul atque philosophi moralis opus, dialogum illum *de clementia* duci

(1) Cf. Tac., *Hist.*, IV, 10 ; *Ann.*, XVI, 32.

H. Schillerius Stoïcis etiam Rubellium Plautum annumerat, de quo Tacitus ita scripsit : « Ipse placita majorum colebat, habitu severo. » (*Ann.*, XIV, 22.)

(2) V. Tac., *Ann.*, XIV, 39, atque imprimis XV, 71, et *Hist.*, III, 81 : « Studium philosophiæ et placita Stoïcorum æmulatus. »

posse existimavi, ita susceptum in his libris Stoïcorum sectæ stoïcique ministri patrocinium (1).

Atqui nunc consentiunt, atque etiam ii, qui severius de Senecæ aut indole aut ingenii novitate judicant, confitentur quinque annos saltem optima Neroni L. Annæum publice suasisse. Quin et animo conjicere est illum diu tot et tanta negotia, cum magno quidem Agrippinæ detrimento, sed in bonum commune, sustinuisse prope unum (2). Quantumvis severe de Seneca judicaveris, id saltem comprobasse opinor non inclementius in nostros *de clementia* libros esse invehendum.

Pro vero contra habendum his libris consulto insertam fuisse imperii rationem propter quam Seneca, quinquennium saltem, bene de Romanis sit meritus.

Ad summam enim Seneca Burrusque, auxiliante senatu, quem quidem se magno honore prosequi profitebantur, leniter gessere rempublicam. Sed cur ita gessere, nisi quod intellexerunt unam viam reipublicæ saluti esse unius imperium ?

Equidem, vel in ratione illa imperii, dimidio tantum stoïca, qua romanæ molis mentem esse

(1) Cf. *de clem.*, II, 5, 2 : « Scio male audire apud imperitos sectam Stoïcorum, tanquam duram nimis et minime principibus regibusque bonum daturam consilium. »

(2) Dio, LXI, 4 : « Ὅ τε γὰρ Νέρων οὔτ' ἄλλως φιλοπραγματίας ἦν, καὶ ἔχαιρε ἐν ῥᾳστωνῃ διάγων. »

censuit imperatorem, vel in illa nimis dura, quod ad clementiam attinet, doctrina, fateor non esse cur condonemus L. Annæo politici, ut ita dicam, philosophi nomen. Quin fateor his libris L. Annæum, quæ divus ipse Augustus de optima imperii ratione censuerit (neque ideo crimine caruit) (1), hæc tantummodo inseruisse et acri quadam expressisse figura, schematismo videlicet philosophico. Neque aliud quidquam forsitan ibi reperias atque primæ ac notissimæ illius orationis summam a Nerone ad Patres habitæ, alioquin a L. Annæo compositæ (2).

Sed me neque hoc fallit opinionem Senecæ de imperii unius necessitate civilibus motibus, Nerone interempto, fuisse confirmatam. Respicio etiam (3) demissum ac projectum senatum illum et auctoritatis expertem, prætorianos milites seditiosos, plebem inertem et magistratus jamjam, sicuti Caio trucidato, perituros. Atqui *de clementia* dialogum cessanti paululum monstro, sed et minanti dicatum esse animadverto ; quanti foret romanus sanguis non satis fuisse Cæsaribus intellectum ; clementiam denique esse verbum unice temporibus

(1) Cf. V. Duruy, *Hist. des Romains*, 17ème seriem, p. 268, 269, 271 et caput LXXII, init.

(2) Cf. Tac. *Ann.*, XIII, 4, et Suet. Nero, 10 : « Ex Augusti præscripto imperaturum se professus. »

(3) Cf. Diderot, *op. cit.*, p. 114.

accommodatum. Itaque verbum illud Seneca non pronuntiavit tantummodo semel atque iterum, sed scripsit etiam atque demonstravit quid significaret ea ætate : notam denique suam clementiæ, stoïcæ tanquam virtuti, impressit L. Annæus.

Quæ nota qualis sit breviter repetam.

Nempe clementiam ab omni mollitie animi vindicare, virtutique illi firmam stabilemque rationis intellectusque constantiam communicare, hoc sibi proposuit.

Stoïcorum igitur disciplina quantum valeret ad romani mundi salutem, non de ira solummodo locutus, sed etiam de clementia ostendit. Principem qui orbi imperaret, Seneca docuit et sibi primum imperandum. Idcirco omni ope nititur ut de principe Sapiens evadat, et Neronem quam late pateat imperatorium munus monere instituit. Docet Cæsarem ad universos homines principem esse natum, sicuti Ratio Verbumque secundum Stoïcos ad optima quæque regit mundi molem : improvisum quidem platonicæ illi sententiæ supplementum « omnia bene populis futurum, dummodo fiant e philosophis reges, philosophique e regibus. » Neque enim indecorum neque forsitan etiam supervacaneum esse ea ætate videretur quod discipulo præceptor romanas res ostentaret ab imperatore, quasi corpus ingens animo suo, gubernari

posse, et clementia principem, cum alteri condonare vitam videretur, sibi ipsi parcere.

Quid multa? Romanarum rerum saluti necessariam esse ratus unius auctoritatem, clementiam principem docet. Namque omnia penes Cæsarem, modo militibus placuerit Cæsar. Supererat quidem Patribus jus legum instituendarum : quo ablato, absolutum Antonini universumque capessiverunt imperium. Neque tamen inde laborasse respublica videtur. Sed ut pulchrum videri potest Senecæ somnium, ita unum accidit desiderari : virum summum atque perfectum.

V

Denique, si Dioni credimus (1), jusserunt Patres conscripti, orante Seneca, primam illam a Nerone ad senatum habitam orationem in æs incidi recitarique quotannis mense januario. Prodierunt igitur libri *de clementia* haud multo postquam rite recitatum est : neque tamen id Agrippinæ mox profuit, neque tot aliis circa Neronem, inter quos ipse Seneca, cui commode aptaveris hoc in tertio *de ira* scriptum : « Accessit itaque ad numerum eorum qui

(1) LXI, 3 et 5.

magnis cladibus ostenderunt, quanti constarent regum amicis bona consilia (1). »

Verumenimvero nonne specie decipimur? Num operam omnino atque oleum perdidit philosophus?

Primo loco non solum dicam, ut Diderot, de Senecæ dialogo « haud vehementius ullum aut callidius potuisse juveni principi dicari, quem pronum ad crudelitatem feritatemque vergere apparebat », etiam addito hoc audacius subtiliusque quam verius : « Si quis igitur asserat nunquam incidisse Neronis oculos in operis illius tegmen quin intus et sub cute commoveretur conscientiaque premeretur, forsitan adducar ut credam. » Sed etiam in memoriam revocabo beatum

(1) III, 14. 6.

Recentius autem profuit nonnullis. Inclytus enim Justus Lipsius, Lovaniensis academiæ professor, idem ille qui L. Annæi Senecæ opera edidit (1605), mire solebat e fastigio suo et amplo statu innumeris civilium turbarum miseriis utilitatem præbere ac solatium. Atqui evenit ut Alberto Isabellæque, Brabantio nuper præfectis, ex improviso colliberet eum audire dicentem. Igitur inopinate prodeuntibus Lipsius assurrexit. Atqui discipulis *de clementia* dialogum hoc ipso die interpretando explanabat. Dein, intermissione facta paulisper, mirificeque præsenti animo usus et consilio, paratissimam arripuit occasionem convertendi principis uxorisque oculos in carceres Lovanienses, et virorum luctum ob civilia crimina vinculis asservatorum. Igitur recitato loco ubi virtute illa, qua delicta absolvuntur, ad deos evehi principem Seneca docet (vide, ut opinor, I, 5, 6, sq.), ex tempore dixit, atque adeo gravi oratione illustravit quantum deceat magnam fortunam magnus animus, et tantam commovit audientibus misericordiam ut postero die statim Albertus trecentos Brabantinos captivos, recentium seditionum participes, eximeret e vinculis.

illud Neronis quinquennium, quo philosophia ad imperii gubernaculum sedere visa est. Deinde quod Senecæ somnium vocavi, memorabo re vera exstitisse, M. Aurelio imperante. Namque etiamsi Marcus nunquam forte Annæum legerit, quem illi suus latinæ eloquentiæ magister Fronto haudquaquam commendaverat, iisdem procul dubio præceptis, ex eadem philosophia manantibus, imbutus fuit. Itaque quod minister Neronis voluit, voluit et ipse imperator; sed effecit ac peregit quod Seneca tantum potuerat verbis præscribere.

Nec satis est: principes illos qui a Nerva ad M. Aurelium principatum et libertatem, res per se olim dissociabiles, conciliaverunt ideoque omnes uno Antoninorum nomine a posteris ornati sunt, dicendum est eisdem sapientiæ vestigiis institisse: non quod philosophiæ alte studuerint eamque professi sint, sed quod e medio sententias præceptaque arripuerint, quasi lumen undique diffusum. Nam superba illa ac dura romana nobilitas, post Neronis tyrannidem, post bella civilia mortem ejus secuta, post Domitiani sævitiam, tandem fracta malis atque edomita, renovata ceteroquin et mutata in melius, multis a Vespasiano in Curiam equestremque ordinem admissis provincialium delectissimis, Græca humanitate ita aucta est ut quatuor ex ordine principes imperio suffece-

rit maximos et optimos: tunc vere fuit pax Romana, fausta provinciis nec jam honestissimo cuique Romanorum infesta. Adde quod jus civile, perpetuo Adriani edicto constitutum ac præfinitum, in dies mitigatum Antoninorum rescriptis, secundum stoïcam disciplinam tertio sæculo adeo excultum fuerit, ut pro ratione scripta merito habendum sit. Omnia quidem illa non Senecæ referre ausim. Sed ut aureum Neronis quinquennium aurei Antoninorum sæculi augurium videri potest, sic dialogum nostrum tanti operis civilis et juridici primum jam esse delineamentum haud injuria dixeris. Ea sit Annæo laus; id decori et gloriæ vertatur scriptori de clementia.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
pridie Idus mart. anni MDCCCXCII
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur:
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX RERUM

PROŒMIUM 1

I. — De dialogi ratione 9
II. — Quo anno aut qua anni parte conscriptus fuerit dialogus 13
III. — De clementia stoïca virtute apud Senecam . . . 31
IV. — De clementia apud principem deo, sive mundi animo, assimilatum 51
V. — De ira, quatenus ad clementiam pertinet, sive de tyranno ac rege. 75
VI. — De dialogo, quod ad doctrinam ipsam attinet, judicium 97
VII. — Quo animo Neronem Seneca clementiam doceat. 109

CONCLUSIO 121

Cadomi — Litteris E. VALIN Typographi